ACADEMIÆ
GLASGUENSIS
ΧΑΡΙΣΤΗΡΙΟΝ,

Ad augustissimum

MONARCHAM

CAROLUM

MAGNÆ

BRITANNIÆ, FRANCIÆ,
Et Hiberniæ, REGEM, Fidei
Defensorem, &c.

Cùm ex ANGLIA profectus in SCOTIÆ
Regnum solenni ritu inauguraretur.

---

18. *Iunii,*
Anno Æræ Christianæ 1633.



EDINBURGI,
Excudebat R. JUNIUS. 1633.

[illegible]

In adventum Serenissimi Britanniarum &c. Regis Gratulatio.

PОrthiadas nuper supplex in vota vocavi,
Et mihi se faciles dederant in carmina, Regi
Dum canerem, Regi, cui nulla e sanguine Regum
Fergusidum videre parem, nec postera sæcla
Audierint, Magni O soboles generosa parentis
Da veniam, neq; enim tanti te laudibus est fas
Invidisse patris: Tu nunc eris alter ab illo.
Vos quoq; *Glasguiaci* justissima cura Lycei
Glottiades Musæ, huc operas contrudite, vobis
Digna hæc materies, hæc area læta laborum,
Qua sudare decet, reducem molimine magno
Dum canimus Regem eximium, patriæq; parentem
Argumentum ingens, & onus cervicibus impar.
Qualis *Gnossiacæ* chara incunabula *Cretæ*
Iupiter, aut *Delon* maternam invisit *Apollo*,
Tum vero Fauniq; leves, *Satyriq;* bicornes,
Naiades, Dryadesq; & Monticolæ silvani
Exultant, plausuq; alacres, fremituq; secundo
Certatim ingeminant venerabundo ore salutem
Talem te (*Regum* Rex præstantissime) tandem,
Post tot *Olympiadas* linquentem *Thamidis* vndas,
Ad patrias oras, expectatosq; penates
Conspexit reducem cælo sol aureus alto.
Illa dies niveo nobis signanda lapillo,
Expectata diu roseâ cum luce refulsit.
Nonne vides, vt concordi tibi tota tenore

Machina conſpiret mundi, tibi cuncta elementa
Ambitioſa pijs conſtanti fœdere certent
Obſequijs? Sed parva loquor, tibi celſa Cupreſſus
Cedruſq;, atq; abies, connataq; robora ſilvis
Inclinant capita, atq; ſuo te more ſalutant.
Inde tibi oſtentat ſe *Grampius*, inde & *Ocellus*,
Subſternuntq; ſacris vmbroſa cacumina plantis.
Ille recurvatis ludens *Mæander* in vndis
Scotigenas inter longe celeberrimus amnes,
Ille tuus natalis, ovans tanto hoſpite, vtroq;
Margine *Fortha* ferax, ſeu divitis vbere glebæ,
Seu, quæ ex abſtruſis penetralia cæca cavernis
Eruta, longinquas ditant commercia gentes,
Regificas oſtentat opes, manifeſta daturus
Lætitiæ documenta ſuæ, ſi poſſe daretur
Exanima humanas audire & reddere voces.
Aſt vbi jam patriæ perventum ad limina ſedis,
Arcis *Edineæ* Capitolia celſa ſalutant
Regem adventantem, atq; audin? de rupe ſuperba
Quanta mole globos imitantes fulmina Olympi
Flammivoma eructent tremulo tormenta fragore,
Horrifico tonitru, cœlumq; ſolumq; cientes
Atq; ſalum. Credas converſo cardine rerum
Naturæ ceſſare vices, & quicquid vbiq; eſt,
In chaos antiquum, ſuaq; in primordia verti.
Quid tibi tunc animi (Rex Carole) quis tibi ſenſus
Talia cernenti? quanto trepidantia motu
Pectora ſubſultant? quantum tibi gaudia mentem
Pertentant tacitam, cum tu prælustris ab auro, &
Murice *Sidonio* toto ſpectabilis orbe,
Quadrupedante invectus equo ſublimis, ab alto
Proſpiceres hilaris læto latè omnia plauſu

Com-

Compita compleri, & denso agmine strata viarum
Fervere nobilium magna comitante caterva.
Dicite, quæ bifido sacras in vertice sedes
Incolitis, (mihi nam gelidus præcordia circum
Torpida sanguis hebet). Vos cætera dicite Musæ
Quanquam hæc sunt tantum præludia prima, at amoris
Pignora, & obsequij, sed adhuc in limine primo
Hærentem, majora manent: longo ordine cives
Hic avidi expectant Regis contingere dextram,
Æmulaq; indubijs testari gaudia signis.
Te populus, patres, populi, patriæq;, patrumq;
Delicias, salvere jubent, & læta precantur
Exanimo, seseq; tibi suaq; omnia dedunt,
Agnoscuntq; vltro, placida quod pace fruantur,
Muneris esse tui, postquam ille tuus, μακαρίτης
Ille tuus genitor, ter maximus ille IACOBUS,
Concessit fatis, cui soli e sanguine Regum
Fata reservarunt, vt, qui tot sæcula quondam
Infensis coiere animis, cum *Brittone* Saxo,
Scotus, & *Hybernus*, socialia fœdera jungant.
Quis *Taum Thamesinq;* vnquam (mirabile dictu)
Si vel ab extrema nascentis origine mundi
Annales repetas, vni parere Monarchæ
Audijt, atq; adeo, sine sanguine, cæde, tumultu
Audijt hostiles coijsse in fædera gentes.
Sic, quæ fatidico quondam eructaverat ore
Enthea vis vatum, (sic fas est credere) in vno
Auspicijsq; *Iacobe* tuis eventa, ratamq;
Invenere fidem. Æterno sic fædere pacem
Confirmas, quam nulla vnquam dissolverit ætas.
Quidquod pacis amans, pacisq; atque arbiter, author,
Compositis odijs in tristia bella ruentes

 Con-

Consilio sistis *Gallos*, *Batavosq;*, & *Iberos*,
Illaque vicinis late cum adserperet oris
Arminij exsecranda lues, duce & auspice tete
Profligata jacet. Sed quo jam provehor? aut quò
Quò me Musa rapis? Quò digressum impetus egit
Inconsultum animi? Dum, quas æquare canendo
Lingua nequit, tenui modulamur arundine laudes
Rex *Iacobe* tuas, non, si mihi dexter *Apollo*,
Sufficeretve omnes Helicon in carmina vires.
Musa redi, reliquoque alacrem te accinge labori,
Majus opus moveo, moles majora canenti
Major adhuc superest. Qualis *Babylona* superbam
Cum subit, edomitis cum jam remearet ab Indis
Signa triumphali referens victricia curru
Magnus *Alexander*. Talis, cum celsus *Edinam*
CAROLVS invehitur, regali splendidus ostro,
Magnifice se ostentat ovans, sed ne tibi forte
Imprudens videar magnis componere parva,
Accipe quam immani inter se discrimine distent.
Ille quidem infamis mundi prædator, ab ortu
Quicquid ad occasum magnus complectitur orbis,
Cum late imperio premeret, nec jam amplius vnus
Sufficeret mundus, totum repleverat orbem,
Lamentis gemituq; & femineo vlulatu.
Ille catenatos Reges, gentesq; subegit
Degeneres, famulo submittere colla capistro
Dum se *Hammone* satum Pellæ mentitur alumnus,
Mandat thuricremis sibi dona imponier aris.
Ast vbi jam famæ totum bacchata per orbem
Exsecranda fames, converso cardine rerum,
Ecce repente ferox violati numinis vltrix
Ante diem *Nemesis* succidit fila juventæ,

Nec


Nec licuit patrijs devicto ex hoſte trophæa
Oſtentare dijs. At tu (Rex CAROLE) feſta
Fronde ſacram redimite comam pacalis Olivæ
Miſſa tot a proavis dextrè dum ſceptra tueris,
Iuſtitiam pacemq; colis, veſtigia *Eliſæ*
Tuta premens, magniq; patris documenta ſecutus
Vicinas vltro ſocias in fædera gentes.
Tu procul a ripis *Humbri*, *Thameſiſq;* fluentis,
Anglobritannorum proceres cum *Scotobritannis*,
Non jam Adamentæis vinctos captiva catenis
Colla trahis, ſed gaudentes communia tecum
Gaudia, ad indigenæ deducis littora Forthæ.
Sarta Θεοπνευςων Tu tecta oracula vatum
Aſſeris, & populo præiens imitanda ſequaci
Publica, privatim præbes exempla Miniſtris,
Scilicet & populi pendent a principe mores.
O rarum exemplar, vixq; ipſi imitabile vulgo:
Macte iſta virtute, iſtis Reſpublica creſcit
Artibus, his privata loco conſurgit in altum
Ex humili ſubvecta, his demum limen Olympi
Scanditur, his veneranda Dei datur ora tueri.
Anne ideo temere eſt, quod te contermina regna
Dum metuunt, tamen vſq; colunt, reverentur, adorant
Submiſſe? (*Neq; enim quiſquam te impunè laceſſet*)
Extera te venerantur, amant & fædere jungi
Expoſcunt. Tanta eſt capitis Reverentia [illegible] ſacri.
Ergone te reducem tua Scotia læta triumphet
Gaudeat, exultet tali tanto hoſpite? quantum
Illa *Gatheliaci* poſt prima exordia regni
Nulla *Caledoniis* ætas conſpexit in oris
Ante tuos faſces *Iacobe* (ignoſcite aviti
Ingentes maneis) cui nullus in orbe *Britanno*

Sol vidit parilem, ne tum, cum Brittone fuso,
Ingentem *Thamesin* Romana potentia quondam
Sub juga misisset. Quin optatissime rerum
CAROLE, quam blandis avidè te amplectitur vlnis?
Aspice, ijsdem vlnis, quibus olim ex vbere matris
Pendentem, complexa sinu gestare solebat
Sedula, habet tota tandem quem mente petivit
Mæsta diu *Caledon*, quem propter conscia votis
Astra fatigavit, quam mæsto pectore cives
Sollicitì toties suspiravere querelis:
Quem propter suspensa tholo donaria templis,
Digna Deo toties sacra ad fastigia fixit.
Quando igitur voti tandem pia numina, cives
Damnavere reos, multumq; optata tueri
Ora datur, jam vota Deo persolvere par est,
Qui dedit incolumi patrios invisere fines,
Vt tibi, quos meruit virtus, meritissime Regum,
Inq; tuos cives pietas, sacremus honores.
Nec tu, istis quæ parva damus, de paupere censu
Sed studiis metire animos, & corda tuorum.
Sed neq; parva damus, siquis non munera dantis
Respicit ingenuus, qualem te sentit abundè
Quisquis ab officijs tibi se integritate, fideq;,
Demeruisse velit. Sed, ne quicquam tibi desit,
Publica quod confert ad gaudia, *(Maxime Regum)*
Ecce tibi Phœbus *Delo*, *Zanthiq;* fluentis
Posthabitis, Cytharam exornat, tibi docta *Thalia*
Garrula blandisono modulatur plectra canore.
Hinc *Erato*, virides capiti subnexa Corymbos
Tempora Pampineis illinc redimita Corollis,
Mellifluumq; melos meditans *Polyhymnia*, blando
Pindaricos ciet ore sonos modulamine dulci,

En

En tibi *Pierides*, non infima gloria, abusq;
Parnassiq; jugis, sacriq; Heliconis ab antris
Excitæ, coiere, ingens venerandaq; turba,
Quicquid honoris habent, in te conferre paratæ.
Tu modo, ne tenues, tanto quod Principe Dignum
Nil habeant, (neq; enim quicquam nisi verba supersunt)
Aspernere, humiles neu despice, parva ferentés,
At, ne verba dari, cum dantur verba, rearis,
(Absit ab ingenuis procul ista infamia Musis)
Virgineusq; pudor prohibet dare inania verba,
Nec dare nil fas est, Tu, qui miseratus, egentes
Suscipis, atq; humiles apicem sustollis in altum,
Id præstare potes, sinerent modò seria rerum
Tantarum momenta animum intendisse minutis,
Da veniam (neq; enim ingratas Rex inclyte Musas
Arguet ulla dies) Per te, nos otia pacis
Tranquillè colimus, Per te (licet vndiq; adurget
Pauperies) procul a strepitu, & clangore tubarum,
Securæ in solis placidè requiescimus vmbris.
Nec tu, adeo curâ tantorum, & culmine honorum,
Indignum censes miseris succurrere Musis.
Finge tibi, quicquid tua *Scotobritannia* vbiq;
Pieridum celebrat, sacris se advolvere plantis,
Vnum omnes Regem te suspiciuntq;, fidemq;
Implorant, in te spes inclinata recumbit
Pieridum, nec tu despectas neglige Musas.
Per patrios maneis, quos,(vitæ lumine cassis
Siquis sensus inesse potest apud infera regna)
Finge tibi hoc ipsum deposcere, (nam neq; fas est,
Ter magno licet) esse patri pietate secundum,
Per, qui terna dedit sceptris superaddita sceptra
Perq; tibi teneris olim quæ crevit ab annis,

Relligio veneranda, cui, si Castalis vnda,
Si Sophia, aut roseis siquid mellita labellis
Suada dedit, Dia indulsit si quid *Theocrene*
Quantumcunq; pote est, merito debere fatemur,
Athea Barbarico discant vt sæcula Sanctum
Pro Iove posse Iovam Cananæa reddere lingua.



Supplicatio nomine Religionis & Mystarum.

IPsa sacros laniata sinus vestemq; decoram,
Cujus adorato capiti substernere plantas
Non pudeat Reges, mundi sub vtroq; jacentes
Cardine, vel turpi fædantes pulvere crines,
(Sic sacrosancta olim cecinere oracula patrum,)
Ipsa tibi canos (viden'?) vt promissa capillos,
Supplicat, intendensq; manus se sternua sistit
Ante tuum solium, & sacros gemebunda Ministros
Contemptim ingrato queritur vilescere mundo,
Hisq; suum Regem compellat vocibus vltro.
Illa ego sum, teneris cui tu dilectus ab annis,
Exceptusq; meis vagiisti infantulus vlnis,
Sedula te in cunis fovi, jam pendulus infans
Implicitus teneros per eburnea colla lacertos,
Sarcina reptasti gremio gratissima nostro.
Deniq; formavi mores animumq; sagacem,
Ingeniumq;, animosq; Augusto principe dignos.
Illa ego sum, quæ tergemini diademata regni
Regis adorato capiti superindui, & auctum
Majestate ampla, & nulli splendore secundum,
Inter honoratos jussi clarescere Reges.

Pro

Pro meritis, & siqua tibi debebimus vltra,
In gremium (Rex magne) tuum deponere curas
Anxiferas, liceat mæstas iterare querelas
Fas desolatæ dilecti Regis alumni
Implorare fidem, nec te piget ἀντιπελαργεῖν
Munificus, qui nunquam inopem dimittis inanem,
Fas mihi sit nulli temeranda reposcere jura,
Iura, tot a proavis ad sæcula sera nepotum
Transdita, Per, tibi, quæ teneris insedit ab annis
Relligionis amor, Per, qui te tantus amatæ
Tangit honos, Per, magna mei quæ cura remordens
Mentem angit, per, quæ capitis reverentia cani,
Respice me jamjamq; (vidents) moribunda fatisco.
Ni me animus fallit, jamdudum scire laboras,
Quæ mihi causa viæ, quæ tanti causa doloris
Anxia sollicitat. Paucis advertere mentem
Si vacat, expediam (nam te discrimina tanti
Imperii (quanquam hac curâ nil munere Regis
Dignius esse puta) & moderantem juris habenas,
Forte latet, quæ sit rerum fortuna mearum)
Vnde mali tanti si fors quæratur origo,
In promptu ratio est. Sacrum prædator ovile
Involat, obicibus perfractis juris & æqui,
Sacrilegâq; impune manu, raptatq;, trahitq;
Prædia pastorum, prædâq; potitus opimâ,
Applauditq; sibi, seq; autumat esse beatum.
Nec tondere satis, quin, lacte & vellere pastus
Deglubit, miseriq; gregis depascitur artus.
O scelus infandum, nulloq; piabile thure!
Interea, qui pastor oves ad pascua læta,
Ad riguos fontes, & viva ad flumina ducit
Pauperies invisa premit (miserabile dictu)

 Quan-

Quanquam parva loquor, viduas pastoribus (eheu)
Cernere erit caulas, quot oves per opaca locorum
Palantes miserè videas, perq; avia tesqua?
O dolor! anne ideo patres, pia nomina, donis
Fana auxere sacris, censu de paupere, vt ætas
Postera, parta manu tanquam de marte trophæa
Pinguia nidentis trahat ad fomenta culinæ?
Hæccine degeneris monumenta infamia sæcli?
Tu tanto medicina malo, (Iustissime *Regum*)
In te vnum defixa oculos, animosq; recumbit
Relligio, penes est vnum, Harpyasq; rapaces,
A caulis arcere lupos, avidosq; leones.
Non magnas miramur opes, non multa talenta
Argenti atq; auri, non quæ radiata supellex
Lumina perstringit, non vasa argentea, nec quæ
Vellera transmittunt ad regna exotica Seres,
Fercula non avido nimium placitura palato,
Non laqueata auro, Parijsve innixa columnis
Atria, regifico nec structa palatia luxu,
Nil moror hæc, Tantum contemptu & sordibus istis
Assernisse velis, Mystas, Musasq;, sacrorum
Mystarum famulas. Atq; en tibi carmina, Qualem
Sordidulæ casulæ, Qualem pannosaq; fædè
Pauperies, potuere tibi producere prolem.
Non sale Cecropio, Graio neq; tincta liquore,
Sed respersa (vides) maculis fuliginis atræ.
Ergo, tibi, & nobis, illa aurea regula, nunquam
Decantata satis, placeat, mediumq; modumq;
Quæ servare jubet. Norma hæc & juris & æqui:
Queis angusta domi res est, & curta suppellex,
His animos miserè videas tabescere, membra
Torpida deficiunt, miseris genua ægra labascunt,

Anxia sollicitis languescunt pectora curis,
Pallor in ore sedet, macies, jejunia, egestas,
Contemptus, Musas, Mystasq; ad munia sacros,
Sordida detrudunt, laribusve, vtinania rerum,
Eiectos patriis, longinqua ad regna relegant.
Nec minus est (experta loquor) res plena pericli
Ambitiosus opum magnarum, & splendor honorum.
Non pene conveniunt pietas, cælestia anhelans,
Luxus iners, & quæ dulci medicata veneno
Vel sanas etiam dementant gaudia mentes,
Et stabiles flectunt recto de tramite gressus.
Quo tamen hæc? exempla vetant me tristia, dudum
Vulneris obducti crudum renovare dolorem.
Sed minor inde metus, peccant hæc tempora, in illud
Extremum, gravius, Scyllan interq; Charibdin
Difficilis cursus, longe natat vncta carina
Tutius hac, mediamq; viam tenuisse juvabit.
Tu præscribe modum, nos jussa capessere fas est,
Et me redde mihi, meq; in mea jura repone,
Per sacram, mihi quam debes, Rex magne, Tiaram,
Oramus, miserere animæ non digna ferentis,
Et sceptri virtute tui pendentis ab vna.
Sed quid ego hæc autem? currenti subdere calcar
Nil opus est, insiste pijs conatibus, vrge
Sedulus, justa operi; stimulos cunctantibus adde,
Queis Regis pia cura dedit molimina regni,
Et jussit gravibus validè se intendere rebus.
Perge alacer, fidensq; animi, duce & Auspice Christo
Qui te ideo evexit tantarum ad pondera rerum,
Per varios casus, per mille volumina, durum
Scandit iter pietas, & mens sibi conscia recti,
Ardua magnarum superat fastigia rerum:

Tu ne cede malis, ſed contra audentior ito.
Sic tibi det, ccelum, & terras qui numine torquet,
Proſtibuli infamis *Babylonis* ſtupra nefandæ
Infanda vlciſci, devotaq; mænia dudum
Exitio, ex imis evertere fundamentis.
Nec ſatis hoc, ipſumq; adeo fatalibus armis
Tarpeium exturbare *Iovem* de rupe ſuperba:
Quod pater ille tuus jam deſignaverat olim,
O dolor! ante diem fato præreptus acerbo.
Hanc tibi regnorum hæredi, & virtutis avitæ,
Lampada commendat fatis ceſſurus iniquis.
Non vult Mæonides vates illum armipotentem
Ajacem *Telamomaden* πτολίπορθον haberi,
Sed Laertiaden, ſignum fatale *Minervæ*
Qui rapuit, cæſis ſummæ cuſtodibus arcis.
Ergo animis, ataviſq; potens te concipe digna,
Magne heros, magnos (jam præſto eſt tempus), honores
Aggredere, & quo majorum molimina rerum,
Quò tua te fortuna vocat, Sors, vivida virtus,
Et vegeti vigor ille animi, & prudentia ſolers,
Quò te fata vocant, accinge, illuc pede dextro,
Auſpicijſq; bonis audentia pectora ferre
Ne dubita, dabit eventus (Rex Magne ſecundos)
Armorum belliq; potens, neq; enim hic tibi fas eſt
Siſtere, degeneres inglorius exigat annos,
Et ſerpat contemptus humi, cui dia negavit
Pectora, & ingentes animos natura noverca.
At tibi, quem jam olim fata ad majora reſervant,
Tollere humo, tibi docta virum volitare per ora
Sorte datum, tibi fas aſſurgere ad ardua rerum
Culmina, fortunæq; humilis tranſcendere metas,
Si quam oracla fidem meruerunt Enthea vatum.

Sed

Sed quo proveheris? Quò te rapit Entheus ardor
Musa procax? Quò te tam subvehis ardua? Qualis
Æthera per liquidum fertur Iovis armiger ales,
Muneris ista tui non sunt, neq; viribus istis
Æqua satis, tenues temerè quid grandia? oportet
Serpere humi, & tenui modulari carmen avena.



Civitatis Glasguanæ & Academiæ,
Gratulatio, & Supplicatio.

ILLA dies Regem patrijs quæ sistit in oris,
Lampadis auricomæ face candidiore refulsit.
Illa dies plausuq, hilari, & clamore secundo
Invitat genus omne hominum ad solennia festa,
Vnda Caledonias quaqua circumsonat oras.
Ipsa (vides) veneranda *Themis*, sanctusque Senatus,
Festa agitans, tria verba silet, legumq, remissa
Majestate gravi cessat veneranda potestas.
Fervet opus, viden, ut juvenum manus emicat ardens,
Et lætum Pæana canens per compita, campos,
Exercent varias patrio de more palæstras?
Quodq, magis mirêre, ipsi jam ætate verendi,
Invalidique senes, pueri immixtique puellis
Sacra canunt, pulsantque hilares pede præpete terram,
Mutuaq, alternis implexi brachia, festas
Contendunt certatim agiles celebrare choreas.
Iure igitur meritoq; tuo cum publica vbiq;
Gaudia, privati passim celebrentur honores,
En tua sese offert tua *Glasgua*, *Glasgua*, Regis
In proavos, studio, obsequijs, pietate, fideq;,

Atq;

Atq; adeo in te ipſum, nulli ceſſura tuarum,
Quas vrbes, latè ſpatioſa *Britannia* laxo
Eit complexa ſinu, nec amoris pignora deſunt,
Pignora, Ter magno quondam pergrata parenti.
Vnum illud multorum inſtar, quod ſedibus iſtis
Ille tuus Genitor debet primordia vitæ,
Hiſce rudimentis tam jactabunda ſuperbit
Glaſgua, quam ſupero gaudet *Iove Gnoſſia* tellus,
Queis neq; *Sterlinæ* cedit, neq; cedit *Edinæ*,
Iſta licet magni patris incunabula jactet,
Illa juventutis quanvis fundamina primæ
Magnificè oſtentet, debent hæc pignora Regem.
Vnum illud, querulos inter communia cives
Gaudia, ſollicitat, quod non datur ora tueri
Tam chari capitis, Quod ſi, ne in publica pecces,
Glottiacos graviora vetant inviſere fines,
O tantum libeat, noſtri memor eſſe, viciſſim
Nos tibi, nos tenues, &, ſiquid poſſumus, vltro
Deferimus, ſacriſq; tuis advolvimur aris.
Nos quoq; *Glaſguiacæ* propter vada cærula *Glottæ*
Quæ colimus, Muſæ, juvat acciſſiſſe labori,
At quibus officijs, inopes devota probabunt
Pectora Pierides? Quæ regi conſcia amoris
Piguora, & obſequij dederint de paupere cenſu?
De locuplete penu, grati tibi plurima cives
Dona ferent, ampla illa quidem, ſed Principe tanto
Digna parum. Sed quo tandem nos numere Regi
Siſtemus? Nam, quæ paſſim laſciva juventus
Ludicra, lætifico celebrant per compita plauſu,
Non bene conveniunt Muſis. *Gangetica* tellus
Quas mittit merces, nec habent, nec habere laborant
Pierides, nempe his ſola ἀυταρκεια cordi eſt.

Non Casiam, Stactæ non suaveolentis odores,
Non quod in *Eois* coquitur fornacibus aurum,
Thurave, odoriferos *Nabathæi* ruris honores,
Sed nec in *Assyrijs* campis quod crescit Amomum,
Non Nardum, aut gēmas, claro ex oriente, Smaragdos
Lucentes, flammasve imitantes rite Pyropos.
Dum dubito, pendetq; animus, quo munere Regem
Demerear, neque dum expedio, mihi Cynthius aurem
Vellit, & admonuit. Quid tristi talia demens
Mente agitas? Sua qui multis largitur abunde,
Qui mystas Musasq; colit, nihil ista moratur.
Tu tantum, domino, quæ pauper reddit agellus,
Quantulacunq; refer. Magni indulgentia Regis
Novit, quid tenues deceat, neq; magna reposcit
A parvis. Tu magne pater, cui militat omnis
Pieridum, Phœbiq; chorus, cui marcida messes
Ter quinas, subito revirescit *Delphica* laurus,
Mutaq; jamdum Cortyna remugit ab antris,
Accipe, sed facilis, vultuq; & mente serena,
Quæ tibi parva damus, fors & majora daturi,
Si spatijs dimensa suis nostra atria, dudum
Prolatata, rudi sed adhuc fundamine, ritè
Ad justam dabitur tandem consurgere molem.
O dolor! ingenuasne decet squalentibus vmbris
Angustisq; casis, & cæco carcere cogi?
Interea, dum fervet opus, proh vrget egestas
Improba, & inceptis suadet desistere vanis.
Dum loquor, en pendent opera interrupta, minæq;
Murorum, nuper spondentes grandia, tardè
Assurgunt. O tu curæ cui sancta, sorores
Numina sunt, sacris averte a sedibus omen
Phœbe pater, ne, quæ castis loca sancta Camœnis

Hac

Hac celebrata tenus, jaceant deserta, situq;
Languida marcescant, vacuis Heliconis in antris.
Dij tantum prohibete nefas, Tuq; optime Regum
Id prohibe, fessisq; velis succurrere rebus.
Ad te confugimus, Tu nobis anchora sacra,
Præsidiumq;, decusq;, atq; ingens gloria Musis.
Non sumus indecores, tua quas colit Anglia Musas,
Teutonia, aut Latium, nec sit reverentia vero.
Gallia testis adhæc, vicinia testis Ierne,
Et bene apud memores meritorum gratia perstat.
Magnos magna quidem, decet & regalia Reges
Dona dare, at nos, pro parvis non magna reponi
Poscimus: Ista verecundis procul ista facessat
Rustica barbaries, audaxq; procacia Musis
Magnus Alexander, Satrapæ, cum multa dedisset
Natarum in thalamos, auri argentiq; talenta,
Quo mihi Rex (inquit) quo tanta vtcunq; merenti?
Ille refert, longe illa quidem, si vera fatemur,
Sunt meritis majora tuis, me expendere oportet
Quid magnum deceat Regem, mundiq; Monarcham.
Siccine Musa procax Regisq; oblita, tuiq;
Obstrepis, obgannis? Tene abjectissima rerum,
Ingenui metas perfricta fronte pudoris
Transiliisse decet? (Rex clementissime) culpam
Deprecor, at noxam, quo tandem thure piabo?
O tantum liceat luituræ expendere pœnas,
Iudice tete ipso, pœnamq; autore levare.

GVIL. VALLAS.



ORATIO

IOANNIS STRANGII ACADEMIÆ GLAS. Præfecti ad REGEM.



QUàm ardenter cupio, pro munere mihi imposito, Rex augustissime, salutationem gratiosam & gratulationem officiosam communi nostro, & totius academiæ Glas. nomine, sacratissimæ tuæ majestati offerre; tam longè ab instituto votoq; me meo abesse video, non tantum ob infantiam meam, & tantæ majestatis jubar, oculorum aciem insolenti fulgore perstringens: sed quod ipsa mihi rerum, quæ se dicenti offerunt, in tantillo tempore, copia maximam pariat consilii inopiam. Etenim in te, ac per te, tot ac tanta gratulationis argumenta nobis suppetunt, & ex jucundissimo isto aspectu in oculos nostros se ingerunt, quot & quanta, non dico, dici aut cogitari, sed nec dici nec cogitari queunt. Ego vero ex hoc immenso acervo, paucissima parcissimè delibare statui, ita raptim, ut canis è Nilo; ne longo sermone tua tempora moratus in publica peccem commoda: non ut gratiam tuam aucuper, sed ut ad gratias Deo persolvendas ex nudâ beneficiorum ejus commemoratione omnes, quoad ejus fieri potest, excitem.

Quod si unqnam alias Scotiæ nostræ Deo gratias a-

 gendi,

agendi, sibi gratulandi, lætamque ac festam panegyrin celebrandi occasio aut materia oblata est; Certè hoc potissimum tempore, quo regem suum, principum omnium orbis terrarum florem delibatum, patrem patriæ in patriâ natum (qualem forte nunquam alium videbit) vix exactâ infantiâ, quam nimis infirmam meminit, hinc olim translatum, nunc demum post tot annorum intervallum, natale solum visentem, formâ & specie tantæ majestati consentaneâ præstantem, robore ac viribus animi pariter ac corporis æquales omnes superantem, avita sceptra tenentem, & ex usu Reipublicæ ad votum optimorum moderantem, videt, audit, complectitur, in quo omnium suorum bonorum, omninm Dei, cujus vicem in terris agit, donorum epitomen videre est.

O faustum & fælicem hunc diem, quo his nunc eum intueri oculis datum est, in quo proximè & secundùm Deum omnes nostræ spes & opes sitæ sunt, his inquam oculis, ex quibus olim largis fletibus ora rigavimus, dum procul à patriâ in Hispaniâ morantem spemque metumque inter dubii desideravimus, numenque divinum, ut sospitem reduceret, piis votis solicitavimus.

Res est solliciti plena timoris amor.

Neque vero nullam metus subfuisse causam, novit qui omnia novit, cui propterea quòd ex hoc & aliis omnibus periculis carum sibi caput eripuerit, perpetuo laudis sacrificio litabimus.

Cùm Regem nostrum utriusque gentis, Scotorum & Anglorum flore stipatum cernimus, non possumus non recolere omnium beneficiorum copiam, quæ ex istâ fælicissimâ conjunctione utriusque populi in utrumque redundârit, sub eodem rege, lege, religione, sopitis odiis antiquis, se mutuò complectentis, & adversus vim omnem externam confirmantis.

Cùm regem nostrum regiæ nobilitatis ac stemmatis exemplar unicum & singulare, antiquissimi regni sui sceptra semper invicta â centum septemque proavis longâ serie derivata nuper capessentem vidimus (quâ gloriâ

gloriâ omnes quotquot usquam sunt, aut unquam fuerunt Imperatores, reges, & principes aliarum gentium longissimo superat intervallo) Cùm inquam nostrum hunc, tot regum hæredem, novis etiam regnis cumulatum, & hæredem omnium virtutum, quæ in singulis ipsius majoribus elucescebant, conspicimus; Cur non raram fœlicitatem, cur non eximiam Dei benignitatem, quam in istam illustrissimam familiam, & per eam in gentem universam contulit & exercuit, quantâ fieri potest animorum alacritate celebramus?

Sed si reliquos omnes Regis majores præteream us, Nunquid patris JACOBI, cujus solio proximè succedit, imago nobis obversari non potest? Nunquid quæ ejus beneficio à filio continuata bona possidemus oculos nostros effugere valent? Næ illo inter omnes orbis principes & Dynastas majorem aut beatiorem nusquam vidit magnus hic mundi oculus. Liceat mihi nunc liberè loqui de ipso, cui fatis functo nemo assentari dixerit. O Solon, Solon, tuum illud effatum celebratur

Ultima semper
Expectanda dies homini, dicique beatus
Ante obitum nemo supremaque funera debet.

Tu rigidus ille fœlicitatis censor, hunc post funera beatum dejerasses; Tu quoque philosophorum princeps Aristoteles, qui Ideam nobis descripsisti fœlicitatis, cujus nullum unquam exemplum legisti aut audivisti, si nunc in terris degeres, præ gaudio exultares hoc uno exemplo comprobatam esse tuam definitionem: quo invento, non minùs seriò triumphares, quàm ille, qui commento suo delectatus nudus è balneo prosiliit, εὕρηκα, εὕρηκα ingeminans, lætitiæ modum excessit. Atqui levis & umbratilis ac nomine tenus duntaxat fuit fœlicitas, de quâ philosophi somniarunt, instar nubis, quam Ixion pro Iunone amplexus est, præ illâ verâ solidâ ac divinâ beatitudine, quæ nostro in terris quanta cuiquam mortalium obtigit, & quâ nunc inter cælites æternùm consummatâ fruitur.

 Dabit

Dabit mihi veniam Rex serenissimus, si ex universo genere regio *Patrem Jacobum* sine honorificâ mentione præterire non potui, tum quia proximus est, tum quia inter omnes majores, heroas certè maximos & clarissimos, nemo major, nemo clarior, tum quia de nostrâ Scotiâ, de totâ Britanniâ, de universo terrarum orbe optimè meritus est, & in nostram imprimis academiam benignissimus, quæ utcunque auspiciis Regis optimi *Jacobi secundi* primum fundata fuit, & ab ipso, omnibusque deinceps regibus aliis, variis privilegiis ac immunitatibus donata; tamen ab *Jacobo Sexto*, cum præ inopiâ collapsa & prope confecta jaceret, ita instaurata, dotata, aucta, & ornata est, ut prope quæ habemus omnia illi soli accepta ferenda sint. Quippe optimè norât Rex sapientissimus, quantum Reipublicæ interesset, in ista præsertim regionis suæ parte, academiam pietate & bonis artibus florentem extare. Et si Deus ipsi longioris vitæ usuram concessisset, effecisset utique, ne qua ad tantam rem necessaria nobis deessent.

O terque quaterque beatam Britanniam, cui talis unquam Rex contigit. O nos miseros et infœlices, qui tantum bonum amisimus. Multa sunt bona (ait ille) quæ carendo, magis quam fruendo, intelligimus. Sed Deo gratia, non est quod amissum queramur, nec sibi nec nobis, Cum ipse nunc in solio æthereo, tantum reges omnes mortales gloriâ superet, quantum illi, hominum immo animalium abjectissimum, & alter ipse, quem cernimus, eadem sceptra, eodem animo, genio, arte, & virtute tractet. Ecce etiamnum pater in filio spirat; patrem nobis superstitem præstat filius. Appello vos proceres Angli, Scoti, & quotquot non estis peregrini domi, num quidquam patriæ constantiæ, prudentiæ, spiritus, regiminis, desideratis in filio? Perlustrate animo omnes exteras regiones, fastos & annales nostros, & omnium nationum evolvite. Quis unquam audivit tantam mutationem sine mutatione factam, & eodem prorsus tenore patris & filii leniter fluens imperium? Nihil in aula, nihil in senatu,

nihil

nihil in foro, nihil domi, nihil foris immutatum, niſi quod ex patris ſententiâ ex deteriori in melius mutandum eſſet, ac ſi vixiſſet, utique perfeciſſet. An dubitamus igitur, . qui paterna omnia proſequitur conſilia & inſtituta, quin eâdem benignitate ac beneficentiâ academiam, Patris ſui curam & delicias proſequatur, donec ab exilibus initiis, & modicis incrementis, eam uſque ad ἀκμὴν perduxerit? Cujus rei inſigne modo dedit documentum, alacriter conceſſo nobis diplomate ampliſſimo, quo omnia academiæ bona & privilegia confirmantur ac ſtabiliuntur, promptumque ac propenſum ad alia majora conferenda ſe oſtendit.

Prætereo quanti beneficii loco habeamus, quod pro patria ſua cura & amore, eum noſtræ nuper academiæ cancellarium & eccleſiæ Epiſcopum præfecerit virum, a quo optima quæque merito ſperamus: gnari quam ardenti zelo, pioque ſtudio in Deum, regem, patriam & eccleſiam flagret: id quod multis jam laboribus exantlatis, maximis periculis contemptis, graviſſimoque rei familiaris diſpendio publicam ut rem promoveret, abundè omnibus confirmavit.

Magna quidem ſunt hæc quæ diximus, ſed parva forte cenſenda, ſi conferantur cum aliis Regis noſtri ornamentis propriis, meritiſque ampliſſimis, quæ mihi perinde eſt exilis oratiunculæ cancellis complecti, ac mare Atlanticum cotylâ exſorbere: & licet ſpatiis non iniquis diſcluderer, nefas tamen exiſtimarem regias laudes quibus nulla par eſſe poteſt eloquentia, culpâ ingenii mei deterere. Alexander ille magnus ab Apelle tantum pingi, & à Lyſippo fingi voluit; quanto magis ad divina animi regis ornamenta & monumenta depingenda non vulgari opus eſt artifice? quæ tamen, etiamſi dicendi facultate aliis omnibus præcellerem, coram rege ipſo vix parcè delibare ſuſtinerem. Adeo me meus retardat pudor & ipſius præſentia; qui quam facile præſtat, ut ab omnibus uno ore laudetur, tàm ægrè laudum ſuarum præconia audire patietur; Conſtantino magno non abſimilis,

quem ægrè tulisse ferunt cum quidam ausus est eum in os beatum dicere. Attamen cavendum nobis est, si nihil dixerimus, ne dum assentationem fugimus, in Deum ingrati simus, cui soli suas dotes & merita in homines quæcunq; Rex accepta refert; qui etiam ministros & organa suæ bonitatis ac beneficentiæ, propriâ laude, gratique animi officiis, fraudari minimè vult.

Sinite ergo me auditores præterire splendidissimas spectatissimi Principis nostri virtutes, quibus alios cujuscunq; ordinis mortales supereminet, sapientiam cum prudentiâ, justitiam cum clementiâ, liberalitatem cum temperantiâ, gravitatem cum comitate, animi magnitudinem cum moderatione.

Sed nunquid vobis religio videtur religionem ejus & pietatem tacere, quæ re verâ fons est omnium virtutum, mater omnium benefactorum beneque dictorum, sine quâ quicquid virtutis nomine censetur, omnino larva est & hypocrisis. Ille qui solo Deo minor est, cultu Dei, & obsequio infra omnes minimos se dimittit. Ille qui alioqui nihil ferè habet vacui temporis, pietatis tamen officiis aliquot horis quotidie vacat, & diutius vacat, opinor, quàm plerique maxime vacui: nec satis habet religionem scrinio pectoris fovere, nisi porro profiteatur, nec profiteri nisi re & operâ in vitâ exprimat, nec vitâ modo exprimere, sed auctoritate, legibus, imperio sancire, stabilire, propagare, & adversus hostes acerrimos vindicare: à quâ curâ nullæ eum illecebræ, nullæ difficultates, nulla pericula dimovere unquam poterant. Unde nihil ipsi cordi magis esse solet, quàm ut ecclesiam Dei in aliis regionibus afflictam sublevet, in suis ditionibus ornet & conservet, eâdemque operâ reipublicæ optimè consulat. Ecclesia enim & politia sunt similimæ geminis istis apud Hippocratem, simul ridentibus, simul flentibus, simul ægrotis, simul integris: quarum omnis spes, ut sementis in messe, in ipsarum seminariis, scholis, & academiis sita est. Nec dubium est, quin in hanc curam etiam atque etiam incumbat pius princeps: & nominatim ut

quâ

quâ arte Julianus Apoſtata nequiſſimus religionem chriſtianam evertere conatus eſt, noſter contrariâ ratione fovere & firmare pergat. Ille cùm nullâ vi apertâ, nullâ tormentorum aut cruciamentorum immanitate religionem opprimi poſſe videret, per fraudem & cuniculos rem aggreſſus eſt: legem enim ſancívit, qua Chriſtianis ludos literarum ademit, & interdixit, ac eccleſiam bonis ſpoliavit. Noſter verò ex opimis vectigalibus, & bonis ampliſſimis olim Deo & Eccleſiæ dicatis, ſed injuriâ temporis (nequid gravius dicam) interverſis, magis magiſq; providebit, ne deſint eccleſiis paſtores, academiis profeſſores & utriſque neceſſaria præſidia, adminicula, & ornamenta: ne oves Chriſti palantes paſtore & pabulo deſtitutæ diſpergantur & diſpereant; ne bonis ingeniis quo minus emergant, obſtet inopia; ne ſtudioſa juventus diſcendi ergo ad peregrinas & etiam hæreticas academias cum periculo animarum neceſſe habeat confugere, & adoleſcentes hîc à nobis inſtituti alibi gentium victum quærere, aut literis abdicatis ad illiberales artes aut ignobile ſervitium ſe convertere cogantur. Hæc & talia pietas & religio Regi abunde ſuggerunt.

Plato dixit, tum demum beatas fore reſpublicas quando aut philoſophi regnarent, aut reges philoſopharentur. At ſacræ literæ nos docent veram beatitudinem, Regum, regnorum, ac rerumpublicarum, à ſinçerâ religione & pietate principum unicè pendere. Id quod piorum regum exemplis, Davidis, Joſhaphati, Hezekiæ, & aliorum in ſacrâ hiſtoriâ nobilitatorum liquidò demonſtratur: & hæ ipſæ nationes præ aliis omnibus gentibus, noſtrâ patrumque memoriâ ſub ſanctiſſimis principibus, *Jacobo* & *Elizabetha* abunde expertæ ſunt; & nunc ſub hoc noſtro continenter experiuntur.

Hinc dum alibi paſſim in orbe terrarum tenebræ, turbæ, procellæ, incendia, apud nos in noſtrâ ſcilicet *Goſhene*, clara lux, florens juſtitia, firma pax, alta tranquillitas, beata libertas, ac bonorum omnium quæ ad animum pariter & corpus ſpectant affluentia.

O ad-

Oadmirabilem & aliis inauditam optimorum principum tam diu continuatam ſucceſſionem ! O nimium fortunatam hanc inſulam, ſi ſua bona gratè agnoſceret, & uti noſſet! O ſi peccatis noſtris fœdâq; ἀχαριστίᾳ tantæ felicitatis ſeries nunquam abrumpatur.

Celebrent alii Alexandrum magnum, Pompeium magnum, et Iulium non minorem : magni hi fuerunt orbis depopulatores, humani generis everſores. At cedo quam unquam regionem fœliciorem reddiderunt, aut quis nunc eos ſanus beatorum numero adſcripſerit ? Tu vero Regum Coryphæe non magis latè patentium regionum et gentium quam tui ipſius rex ; qui (quod de Fabricio dicebant veteres Romani) difficilius à recto, quàm Sol à curſu ſuo, averti potes : quem meliore jure Patrem patriæ, quam ſenatus populuſq; Romanus Auguſtum ſuum, ſalutamus : quem Trajano illo qui optimus audiit, meliorem gratulamur : quem Conſtantino verè magno, Carolo magno, et quicunque alius meritò magnus audiit, non minorem auguramur : Imo ipſi regum præſtantiſſimo et beatiſſimo *Jacobo patri* non imparem ſperamus : Tu piorum in Eccleſiâ regum, paternæque adeo pietatis æmulus, Perge, ut facis, Chriſto militare, regni ejus fines dilatare, Chriſtianam fidem conſervare, Chriſti cauſam vindicare : Eccleſiam ejus alibi gentium preſſam refocillare, in tuo imperio florentem præſtare, Rempublicam Juſtitiâ firmare, ſcholas Eccleſiæ ſeminaria & Reipublicæ plantaria fovere, omni virtutum genere ſubditis tuis prælucere. Et ut diu pergas, tibi tantiſper vitam & gratiam addere, qui dedit, pergat Omnipotens, donec tandem ſaturum vitæ ac gloriæ terrenæ ſerò in cœleſte regnum transferat : filiumque maturum tibi ſimillimum in ſolio tuo ſtabiliat : Sic te, tanquam menſura votorum, nec majorem nec meliorem nec beatiorem principem deſiderabunt hæc aut futura ſæcula.



ACADEMIÆ GLASGUENSIS SYMBOLUM POETICUM.

QVi mare, qui terras & cælum lumine lustrans
Volvis inexhausto labentia sæcula motu
Auree Sol, mundi patuli lux alma, micantes
Splendidius radios funde, omni nube remota;
Jam magis elato surgant temone quadrigæ,
Efflantes roseum, frænis spumantibus, ignem:
Dum non clara minus nostram lux altera terram
Illustrat, longæ dispellens tædia noctis:
Et patrias, post sex nunc lustra, revertit ad oras,
Chara Dei soboles, hominum flos, gloria regum,
Carolus, *insignis terni diademate regni,*
Antiquam invisens patriam, nataliaq; arva,
Et populo visenda suo sacra ora recludens.
Purius æstivo splendore refulgeat aer;
Rara procellosæ fugiant in vellera nubes;
Subsidant venti; stratâq; æqualiter unda,
Cæruleis Neptunus equis tranquilla pererret
Æquora; spiret agris fragrante Favonius aura;
Luxurientq; novo campi, collesque nitore;
Fundat humo tellus immensos farris acervos,

Quales læta suas mirantur Gargara messes,
Aut ubi centuplo agros fœcundat fœnore Nilus:
Aureus è cœlo cumulatè depluat imber!
Et quales, Jovis è cerebro nascente Minervâ,
Cælitus in Rhodios fines fluxisse feruntur;
Tales effundat pluvias bona copia in agros,
Qua rex cunq; feret fælici tramite gressus.
Illius adventum Nymphæ celebrate choreis
Sylvis quæ umbriferis, nemorum quæ degitis antris;
Ferte rosas calathis & candida lilia plenis:
Quæq; lacus, fontesq; sacros, & amæna fluenta
Incolitis, vitreis exite sedilibus omnes:
Spargite aquas foliis, inducite fontibus umbras.
Vos quoque Glottiades *musæ, & sacra turba Lycei*
Glasguiaci, *domino natur è occurrite vestro,*
Gratantes reduci & lætum pæana canentes,
Qui vos ornat, alit, ditat, servatq; fovetq;
Castalios latices, claramq; Aganippidos undam
Haurite, arcanis excite Heliconis ab antris
Pieridas, totumq; vocate in carmina Phœbum:
Dicite quæ vestras pertentent gaudia mentes,
Gaudia quæ teneris infantibus ora resolvant
Inq; Dei laudes, unctiq; encomia Regis;
Gaudia quæ vobis grata hæc spectacula præstant:
Dum Fergusiaden, *quo non præstantior alter*
Imperio populos moderari, nescia vinci
A centum & septem sibi patribus, ordine longo,
Missa capessentem Scotorum sceptra videtis:
Anglia cui paret domino, cui servit Ierne,
Quem ferus horret Iber, quem Romæ mœnia & arces
Degeneris metuunt, fataliaq; arma tremiscunt,
Gallica gens ambit, colit & Germania verè

Germana

Germana, æterno cupiunt ſibi fœdere jungi
Danique & Batavi, cum Suecis; denique cuncti
Formidantq; mali, & juſti reverentur ubique.
Quæ regio in terris noſtræ non æmula ſortis?
Principe qui tanto merito gaudemus ovantes,
Qui fortunæ animiq; bonis & corporis omnes
Mortales ſuperat, tam claro ſtemmate dignis,
Dignus qui cunctis præſit mortalibus heros;
Orbis deliciæ, patriæ ſpes, vita parenſq;,
Orci terror, amor cœli, lux ſplendida ſæcli,
Cura Dei, curæ Deus eſt ante omnia ut ipſi:
Auſpice quo, noſtris ſuccedunt omnia votis:
Relligio, pietas, jus, fas, pax aurea terris
Pulſa aliis, tamen in noſtris florentq; vigentq;,
Quas iterum cœlo colit alma Aſtræa relicto.
Hæc canite, & regem meritis efferte benignum
Laudibus: hæc veſtris ſeges eſt nimis ampla Camœnis,
Pieridum myſtæ, digniq; & Apolline vates.
Sed tentate tamen, licet exæquare canendo
Vix Helicon totus numeris, vix Delius ipſe
Sufficiat, nec ſi Aoniæ cum Pallade Muſæ
Huic operi incumbant omnes, iterumq; reſurgat
Qui cantu flexit ſcopulos, curſuq; ligato
Dicitur attonitos fontes remoratus aquarum.
Verum ego Muſarum tenuis modo vernula, tanta
Haud auſim ingenii culpâ præconia laudis
Deterere. Aſt humili noſtræ mage conſona ſorti
Vota preceſq; Deo, regiq; effundere fas ſit.
Tu vero quantum præſtas, Rex, omnibus unus,
Tantum te ſupera, virtute & honoribus auctus.
Perge Deo gratam ſine noxâ degere vitam:
Gloria crux Chriſti tibi ſit: tua militet omnis

Cura Deo: vigeat pietas longèque facessat
Vana superstitio, tua quà patet ampla potestas:
Christicolûmque alibi afflictis succurrere rebus
Ne pigeat: nostris & qui bonus otia Musis
Fecisti, patrio complectere semper amore.
Quod tibi donemus, te dignum, utcunque vicissim
Suppetat haud usquam satagentibus: at tibi quæ sunt
Pluris, ab auriferis quod quàm eruit India fossis,
Pactolique Tagique undis, vel lucet arenis.
In te animi obsequium gratum, studiumque fidele
Deferimus, vitamque tibi viresque sacramus
Ingenii, æterno devinctaque pectora nexu.
Ergo tibi penitus devotas accipe mentes:
Respice nos vultu jucundo, & fronte serena:
Sis fœlix fœlixque tuis: sic te horreat hostis,
Mirenturque alii: sic te sæcla omnia laudent:
Sic tibi propitium numen tua cæpta secundet
Omnia: sic crescant anni, & crescentibus annis,
Pax, honor, imperium, virtus, læta omnia crescant:
Sic solio solium mutes cæleste caducum,
Postquam hic Nestoreos fælix compleveris annos.
Succedat sobolis dia numerosa propago;
Integra dum superest annosi machina mundi
Sic voveo: sic vota Deus non irrita faxit.

Johannes Strangius.

PANEGYRICUM.

CAroli *ob adventum regis, qui pace Britannas*
Justitiâque regit gentes, amor orbis, & alti

Cura

( )

Cura poli, Australi imperii regione profectus,
Qui tandem, procerum votis plebisque petitus,
Scotorum faustos gressus, optataque in oras
Ora tulit, natale solum, populumque & avitas
Invisens sedes, atque incunabula prima,
Et veteris regni antiquum diadema capessens,
Exultat dum nunc omnis locus, omnis & ætas,
Dum nunc omnis agris tectisque effusa juventus,
Matres atque viri, pueri, innuptæque puellæ,
Visendi atque salutandi studio undique regis
Convenere sui, passisque amplectier ulnis
Contendunt, lætasque ferunt ad sydera voces:
Illius adventum aspectu cælumque solumque
Dum læto excipiunt, & vultu cuncta sereno
Gaudia testantur sua, Phœbus purior undis
Eois surgens, repetens & purior undas
Hesperias, flammis fraternis æmula curru
Lucidiore polum percurrens luna serenum;
Aer pulsa hyeme insigni splendore refulgens,
Junius arva ornans viridi formosus amictu,
Et loca odoriferis late omnia floribus implens:
Olli carminibus dum lætis undique sacræ
Occurrunt nymphæ, pleno Permessius amne
Fons eructat aquas, vatum queis pectora & ora
Proluat, ut magni referant præconia regis,
Atria Musarum foribus reserantur apertis,
Totaque Pieridum venientem turba sororum
Excipere, & lætis certant celebrare choreis:
An nos Glottiadum mater quos Glasgua fovit
Musarum soboles, sacris addicta Camœnis,
Qui soliti, patris toto celeberrimi in orbe
Principis, & regum laudes efferre priorum,

Mutos esse decet, captantes mollia segnes
Otia, seu criticos, famam veritosque sinistram!
Nos ne inter dabimus communia gaudia nostræ
Lætitiæ specimen? nostra exurget ne Thalia
Adventum regis nostri laudesque canendo?
Non ita nos sacræ primis docuere sub annis
Pierides: ergo argumentum sit licet ingens,
Infirmis & onus longe cervicibus impar,
(Quisnam etenim magni numeris comprendere laudes
Caroli, & exili Musarum dicere versu,
Virtutesque animi, & mentis decora inclyta possit?)
At bonitate tuâ freti, vultuque benigno,
Versibus his licet incultis, tantique subire
Principis aspectum indignis, in te tamen omnis
Testibus obsequii, gratâque à mente profectis,
Officium tibi deferimus rex optime nostrum.
Gratantes tibi dulce caput jam stemmate cinctum
Esse Caledonio, & precibus votisque litantes,
Hæc tibi, & ut populo Stephanosis fausta sit omni.
Teque adeo magni decet hanc librare tiaram,
Et cunctis aliis, queis indulgentia cæli
Ornavit regale caput præferre coronis:
Namque hæc Fergusio à primo bis mille per annos,
Per proavos centum, per septenosque priores
Transmissa est, invicta & tot per secula durat:
In regnis quum sæpe aliis mutata fuere,
Et dominis cessere externis stemmata avita,
Hæc priscâ semper sub libertate, sub ortis
Principibus stirpe è prisca, haud mutata remansit
Non hanc Britto ferus Romanis viribus auctus,
Non hanc Saxo ferox depulso Brittone, non hanc
Saxone devicto Danus, non Gotthica virtus,


Non rex Anglorum Edwardus *sævissimus armis,*
Magnanimi Vallæ *validâ virtute repulsus,*
(Multa tulit bello qui vulnera, tela, necesque,
Regibus assereret Scotis ut Scotica sceptra)
Viribus urgentes poterant acquirere totis.
Quæque alias domuit Romana potentia gentes,
Perque omnem eripuit diademata regibus orbem,
Non hæc eripere aut valuit sibi subdere sceptra:
Sed fines hic ipsa suos defendere contra
Scotorum incursus, murisque fossisque coacta:
Vt cecinit vates Romani præco triumphi,
" *Roma securigeris prætendit mœnia Scotis.*
Ergo magnanimûm stirps inclyta Carole *avorum,*
Magnanimis sis major avis licet ipse, coronis
Imperiisque novis, titulisque & honoribus auctus,
Hanc tibi per proavos tot, per tot secula missam
Fælici auspicio, regali suscipe mente:
Hanc tutare, auge, totis & viribus orna.
Aspice quàm te animis lætis, populusque patresque
Excipiant, quanto testentur gaudia plausu?
Sacra Caledonio *tibi tempora stemmate cincta*
Cernentes, quanta O populos effusa per omnes
Lætitia? ordinibus quanti accessere nitores
Omnibus? ut regni facies est tota novata?
Qualis ubi informi brumâ sol aureus actâ
Sub terras, cælumque æstivâ luce serenans:
Tale tuum nobis lumen suavissime princeps.
Splendida nam propius tua quo datur ora tueri,
Flagrantesque oculos, placidâque in fronte decorem
Cernere, magnanimâ cum majestate nitentem,
Vita salusque nova exoritur, nova gaudia crescunt:
Et quocunque tui tu lumen amabile vultus

Circumfers, radiosq; micantes corpore toto,
Quo propius nostro tua lux advertitur orbi,
Spectantum vicina magis præsentia, mentes
Exhilarat magis, unde oculi simul omnium, & ora
In laudes reserata tuas, in vota precesque
Intenta, oblatas pro te cœlestibus aris.
Nosque tuas laudes canimus, semperque canemus:
Otia qui Musis optata, & præmia confers:
Qui fœcunda facis virtutum ut floreat ætas,
Ingeniis pateat campus, certusque merenti
Sit favor, ornetur propriis industria donis,
Vt vigeant artes, excultaque dona Minervæ:
Qui facis ut cultu niteat veneranda sereno
Relligio, ut cum pace fides exultet in oris
Omnibus imperii, fractis ut lugeat armis
Perfidia, ut gladios mitis clementia sævos
Obtundat, vis pauperibus ne infesta potentum
Sit metuenda, nec innocuam lis frausque dolosis
Artibus exagitet plebem, nec munere prodat.
Qui facis ut casulæ ruris sub tegmine alumnus
Quisque suæ, tutusque metu requiescat ab omni.
Qui facis, ut populi extremo sub sole remoti,
Hibernique feri, montosaque tesqua colentes,
Queis pro lege fuit vis, queis mos vivere rapto,
Pacati legum cogantur fræna subire.
Qui tua non multis legionum regna maniplis,
Neve satellitum turbâ, ferroque cruento,
Belligeris nec equis, sed majestate tueris
Juris, præsidio quæ freta est semper inermi,
Virtutum officiis, veræ & pietatis amore.
Ipse tuo exemplo vitii incrementa coercens,
Et legum ad populi componens fræna salutem:
Omnigenûm

Omnigenûm sors est in te congesta bonorum,
Vix ulli concessa viro, mortalibus ex quo
Prima hominis labes nocuit, sed singula quemque
Nobilitant: hunc forma decens, hunc gratia morum,
Hunc animi vigor, hunc veniens è corpore virtus,
Hunc pietas, hunc justitia, hunc prudentia solers,
Hunc rigor, hunc gravitas, illum clementia mitis,
Hunc oris decor, hunc largæ indulgentia dextræ,
Hunc compressus amor vini, castumq; cubile,
In te mixta fluunt hæc, quæ sparguntur in omnes;
Omnia tu collecta tenes, divisa beatos
Quæ faciunt, insignitus virtutibus unus
Omnibus his, quæ sunt illustri principe dignæ.
Quarum fama omnes mundi vulgata per oras,
Et quà mane oriens, nitidum caput exserit undis
Phœbus, quàq; petens occasum lumina condit,
Vndiq; legatos cunctis è partibus orbis
Accivit, pacemq; & fœdera amica petentes
Qui tot spectantes, admirantesq; repostas
Ingenii geniiq; sub uno pectore dotes,
Principe naturæ tot dona & gratiæ in uno:
Magnificâ eximiam cum majestate nitentem
In facie formam, gravitatem in fronte serena,
Immensum regni splendorem, aulæq; nitorem,
Illustres procerum cœtus, equitumq; cohortes,
Servorumq; ornatum ostro lucentium & auro
Qualem Roma olim tranquilla pace fruentem,
Viderat Augustum, aut Solymæ Solomona potentem;
In varias tua diffundunt præconia gentes:
Ergo tuum toto nomen celebretur in orbe,
Et memori te nulla dies unquam eximat ævo:
Vitâ longævâ procedas auctus in ævum

Acervum, patris hinc cum sceptro filius omni,
Virtutum exemplum accipiat tradatq́; nepoti,
Nec desit soboles, lucem dum Phœbus ab umbris
Dividit obscuris, solio quæ insidat avito.

MICHAEL VALLAS.



CAROLUS MAGNUS,

SIVE

ICON OPTIMI ET SERENISSIMI *CAROLI*,

Britanniarum Galliæ & Hiberniæ Regis fidei Defensoris.

Auctore JOHANNE ROSA *Ecclesiæ Machlinensis pastore.*



EDINBURGI,
Excudebat R. JUNIUS. 1633.



AMPLISSIMIS DOMINIS ET NOBILISSIMIS COMITIBUS

Patronis suis omni officio colendis *D. GEORGIO HAYO*, Kinnoli Comiti, &c. Scotiæ Cancellario, D. *THOMÆ HAMILTONIO* Hadintoniæ Comiti, &c. & D. *GVILIELMO ALEXANDRO* Sterlini, Comiti, &c.

JOHANNES ROSA S.P.D.



Vm ex veterum more, & majorum instituto, magna nomina & illustres honorum tituli, vix ipsis Cæsaribus nisi comitiis centuriatis, & ex senatus consulto deferri consueverint; non abs re ego imi subsellii & privati judicii vir, cui nec comitia calandi, neq; in senatu sententiam dicendi jus est, vos, tria Purpurati ordinis nostriq; senatus lumina, tanquam Deos nixios mihi laboranti, & qualemcunque hunc ingenii fœtum enitenti propitios compellavi; ut meam de Caroli *magni virtutibus sententiam calculis vestris comprobantes, fidemq; meam, si cuivis momo sublesta forte videatur, auctoritate patriciâ fulcientes, me ab omni invidiæ morsu vindicetis, tantumq; Heroa, pro suis meritis, quà vobismet ipsis iter est, à virtutis æde ad sacro sanctum honoris templum rectà deducatis. Et si*

quem

quem audaciæ errorem hic errasse, & plus satis mihi arrogasse videar, quòd cùm Alexandri magni ora & externi corporis lineamenta uni tantum Lysippo fingere, unique tantùm Apelli pingere concederetur; ego tamen confidentior, ex tenui Musarum mearum myrothecio, jejunisq; Apollineæ artis pigmentis, ipsas Caroli *magni virtutès internasq; animi dotes adumbrare voluerim: sciant Zoili, licet plurima nobis poetis cum pictoribus fratribus nostris intercedat cognatio & affinitas, & juxta Simonidis melici vocem vulgatam* ἡ ζωγραφία ποίησις ἐστι σιωπῶσα, ἡ δὲ ποίησις ζωγραφία λαλοῦσα, *non tamen in omnibus usque quàque convenire, neque fictores aut pictores, paria cum mediocribus poetis industriæ suæ præmia, parilemq; laudem unquam reportasse dicendum est. Nam & Alexander ille magnus, cùm edicto cavisset,*

------Ne quis se præter Apellem
Pingeret, aut alius Lysippo duceret æra, &c.

Ignobilioresq; omnes artifices despicatui habuisset, tantùm tamen ignobili Poetâ Chœrilo est oblectatus, ut incultos suos versus, & in laudes suas malè natos, Philippis pluribus numismate regali compensaret. Quid quod debiti officii, & obsequii ratio hic veniam impetrare, & meritò consequi debeat? Cùm enim ex veteris Philosophiæ sensu, amor omnibus aliis animal humani affectibus dominetur, & ex Theologiæ sententiâ, teste Augustino, non tantum desiderium, & gaudium, sed etiam metum, & dolorem ambitu suo complectatur; non potui ego in tantâ omnium regni ordinum lætitiâ, tamq; æmula nostratium vatum gratulatione solus esse asymbolus: sed quamvis gravissimis districtus essem molestiis; & acutissimus ex Nephritide dolor, non tantùm gaudium, & desiderium


Aug. de civit. Dei. lib. 14. cap. 7. & 9.

um interturbaret; verum etiam ex dolore incumbens metus, mali ipsius incrementum, & novissima quaque, portendere videretur; amor tamen, qui vincit omnia, & mea in Patria Parentem pietas, adeo dolorem delenivit, & metu abacto animum prius labantem sustentavit, ut in summis cruciatibus, continuo mentis impetu (absit dicto invidia) ad hocce officium raptus, non tam pangere quàm fundere, & potius memorare quàm meditari, hoc qualecunque carmen mihi viderer. Quod utcunq; nullo fuco aut orationis lenocinio, ab hâc meâ festinandi licentiâ efflorescat, vos tamen æqui boniq; arbitros, quo vobis datum & dicatum est animo, pro solenni vestrâ humanitate, & in hæcce studia amore, æqui bonique consulturos arbitror & confido; rogoq; impensiùs, ut hos conatus absolventes, *Academiam* Glasguanam, *almam Phœbæorum alumnorum nutricem & parentem indies novis fœtibus sobolescentem, vestro patrocinio tueri, & jugi favore complecti dignemini. Valete.*

Vestri honoris cliens omni

obsequio devinctus

JOHANNES ROSA.



CAROLUS MAGNUS,
SIVE
Icon optimi & serenissimi CAROLI Brittaniarum *Galliæ & Hiberniæ Regis fidei Defensoris, &c.*

PYramidum moles, eductaque marmora cœlo,
Æraque in humanas mollescere visa figuras,
Solertique animata manu; sic cana vetustas
Solvit, ut immensi damnosis legibus ævi,
Jam senium testata suum, informesque ruinas,
Vix priscæ opponant pereuntia lemmata famæ.
At Charitum dotes, magniq; capacia sensus
Pectora, Praxiteles nullo quæ insigere saxo,
Aut doctâ valeat fulvâ irradiare metallo,
Arte Myron, cunctas sæcli transcendere metas
Et fati meruere vices; seu gratia coeli
Prœmia virtuti hæc solvat, sive enthea vatum
Cura beet titulis meritos, famâque perenni
Heroum sacris adscribat nomina fastis.
Qualia firma magis cunctis monumenta trophæis
Carole magne tibi merito sacramus, & altis
Ingeniis aperimus iter, quo docta propago
Aonio sacras deducens vertice divas
Auspicio ductuque meo, decurrat apertis
Parnassi spatiis, & facta tua æmula famæ
Posteritas mirata colat, memoresque minores
Æternâ sæcli transmittant laude futuris.

Scilicet immenso tibi gloria nomine surgit,
Et *magni* cedit titulus melioribus ausis
Quàm debellatis si terræ finibus, orbi
Eoo, Occiduoque simul, victricibus armis
Jura dares, populúsque omnis tibi serviat uni.
Qualiter antractus Juvenis Pellæus in omnes
Protulit imperium, magnusque inclaruit actis,
Et meruit dici; licet hunc temulentia turpis,
Inque scelus præceps furor, & malesuada libido
Tranversum rapuere, animi quo inglorius error,
Efferaque indomiti traxit pellacia luxus.
Sed tua sublimis nullâ signataque labe
Virtus, humanæ excedens fastigia sortis
Illustri merito, tam te meruisse, relicta
Quam sceptra accepisse probat; quæq; ordine longo
Innumeri heroes fatis invicta dederunt,
Miseruntque tuenda tibi, his nunc enthea virtus,
Ingeniique tui vis, & mage nobilis ardor
Te dignum produnt, qui tantáque pondera rerum
Regnorumque graves unus modereris habenas,
Lance pari & libres, nam seu nos tristis Enyo
Ad sua signa vocet, justa & Rhamnusia pœnas
Hostibus intentans, ultrici exardeat ira,
Exitiumque paret, tu non indigna Britannis
Vota foves fatis; seu poscant publica pacis
Commoda, longævæ ut Themidi Astreæque severos
Imponas mores, tu longa condita nocte
Elicis è legum tenebris oracula veri,
Dogmata doctoresque doces, quæcunque vetustas
Occulit, & nostro Romana haud prodidit ævo:
Quæ *Fergusiadæ* privataque scita tulerunt,
Et debellatis quæ Danis fixerat Anglus,

Et

Et quæ Normannus victor meliora rogavit,
Clausit & obscuris sapientia Neustrica verbis,
Ingenio redimis solerti, & prodis in usus
Multijugos, quando visum est privata tueri
Jura, sacros ritus, concessaque regibus olim
Prœmia, & in seros cupiens transferre nepotes
Intemerata archiva patrum, tibi publica damnis
Est moles potior privis, moderamine & æquo
Ipse modum statuis votis, mulcesque rigorem,
Quæque jubere potes, vis impetrare rogando.
Atque etiam nostris quando indulgere querelis
Te pietas responsa jubet; non triste rigenti
Fronte manus humiles, & dedignare precantûm
Verba, nec abscessit placido quis tristis ab ore,
Alloquioque tuo, fluxam nec dissona factis
Verba habuere fidem, aut ulli damnosa fuere
Quæ dare supplicibus placuit responsa libellis:
Sic quascunque vices perfers, nec mole fatiscunt
Impositâ fortes humeri, nulloque remisso
Officio, variis dispertis tempora cæptis,
Ut valeas prodesse bonis, mentesque rebelles
Sub justis legum monitis mansuescere cogas.
At non jura soli tantum illibata tueris,
Humanæ aut pacis tantum tu provehis artes,
Sed majus meditaris opus, collapsaque pravis
Terrigenum vitiis, immensi jussa Tonantis
Sustentas opere illustri: quæque igne corusco,
Terrificâque tubâ Sinæ exaudita verendis
Sunt pia scita jugis, promptus magno asseris usu,
Exemplo exequerisque bonus, faciendaq; dictas,
Quæ facis ipse prior, solo ut te authore reducta
Diva Astræa polo, una cum probitate, fideque,

Invisant

Invisant iterum terras, melioraque præstent
Sæcula, quà rigidi cedat vis lurida ferri,
Parcæque auratis deducant stamina pensis.
Jam non impuras divis adoleverit aras
Vana superstitio, ritusve aliunde prophanos
Advehat; illicitis numen venerataque sacris
Externo castos corrumpat crimine cultus;
Neve hinc audaci impietas bacchata furore
Augustos titulos, ter sanctaque nomina divæ
(Horrendum facinus) Triados, proscindere votis
Audeat infestis, aut allatrare maligno
Ore, & blasphemas in cælum tollere voces:
Hincque etiam festæ sacra in solennia luces,
Sabbatáque humanæ remeant solatia sortis,
Quà summi placita alma Dei, cælique solique
Fædera, per sanctos memorentur cognita mystas,
Concelebretque diem populus, qui tanta reportet
Gaudia, solennique choro, cætuque frequenti,
Exoraturis, reserato cardine, votis
Atria cælicolûm pandat, patremque benignum
In nato sancti inveniant, qui criminis omnes
Eluerit nostri maculas, Erebóque recluso
Regna triumphati spoliaverit horrida Ditis.
Ergo ignava procul nunc te auspice turba facessat,
Quæ variis longæ, dubiisque anfractibus errans
Tædia lenta viæ carpit, gravibusque periclis
Indulgens, tristes curas, cassumque laborem
Devorat, & terris toties jactata, marique
Per Scyllam, Syrtesque truces, & inhospita tesqua
Inquirens falsos (mundi ô ludibria) divos;
Ut colat humanis saxa effigiata figuris.
Utq; tui sua vota opere, & grato ore, Britanni
Exolvunt

Exolvunt cœlo, & magni pia jussa Tonantis
Obsequio accelerant humili, sic digna vicissim
Officia, alternisque humiles sibi mutua præstant
Commoda, quà sospes legum reverentia crescat,
Majoresque colant meritâ cum laude minores,
Quáque odio succedat amor, desævaque cessent
Jurgia; & ultricis deferveat impetus iræ;
Quáque tori illibatus honos, illæsaque perstent
Vincula, nec rapto vivant, furtivaque captent
Commoda congestis opibus; dirove lacessat
Vicini famam scelerata calumnia morsu;
Sollicitetve aliena animum malus ardor habendi.
O desiderium sæcli, cælique levamen
Indultum terris, O delicias & amorem
Humani generis! quali te laude Britanni
Et potiore beant, quam quondam sancta vetustas
Extulit Augustum solenni nomine Titum;
Ille quidem patriæque parens, meruitque vocari
Invictum columen, paribus quando urbis & orbis
Protendit famam metis, civesque benigni
Imperii bonitate fovens, fluxisque faventis
Ditavit fortunæ opibus, lapsamque priorum
Induperatorum vitiis rem juvit & auxit.
At melior te cura trahit, mage dignaque magnis
Versas cæpta animis, terræque evanida cordi
Non tam regna sedent, quam Christi extendere fines
Imperii, sanctoque jugo submittere duræ
Cervicis populos satagis, ne ignava libido
Degener aut luxus, perituráque gaudia sæcli
Anxiá, ne humanas oblimet copia mentes.
Hinc quà se exereret tractus diffusa per omnes
Fælix illa poli soboles, lumenque deorum

Enthea relligio, immanes tu proteris ausus
Sacrilegi erroris, sanctis satagisque Levitis,
Presserat in duris quos nuper rebus egestas,
Ampla & ad aucta suæ concedere commoda sortis.
Macte animi ter magne heros, quodq; auspice cælo
Immensum moliris opus, perge omine fausto
Tandem emoliri, impietas ut victa facessat,
Pristina divinis & constent præmia mystis:
Hoc spe ambit Clerus, populus votoque perenni,
Damnatus sacras divûm hoc deposcit ad aras:
Sunt patris ætherei placita hæc, qui te auxit honore
Tergemino, triplicique caput diademate sacrum
Cinxit, ut alterno hunc tu dignareris honore
Authori tantæ laudis, laudesque referres.
Quare fausta tuæ sume hinc primordia famæ,
Hincque fluat rerum ordo tibi, hinc meliore lapillo
Venturosque dies signa, & successibus auctus,
Prægredere antiquæ sublimia nomina famæ:
Nam mihi si veri quidquam Cortina reclusit
Delphica, fatidicâ caluere & pectora flamma;
Præmia virtuti larga indulgentia cæli
Spondet magna tuæ, nisi tuque urgentibus obstes,
Fatisque officias ultro, imbellemque quietem
Grandibus anteferas cæptis, non alter habetur
Dignior, Eoum justis qui legibus orbem
Temperet, & positas audax cui Turca tiaras
Lemniscosque suos submittat, quique labantis
Imperii occidui laxas modereris habenas.
Non igitur sanctos ritus, sacraque otia pacis
Promovisse sat est, sunt magna exempla sequenda,
Et meliora tibi, quà nuper clara trophæis
Nomina, per dura adversæ discrimina sortis

Munivere

Munivere iter ad famam, temptiſque periclis
Subjecere ſuis hoſtilia fœdera ſignis:
Qualiter auguſtis titulis Rex ille Suëcus
Belliger *Adolphus*, magnum omnipotentis olympi
Fulmen, in Auſtriacas Chriſto ductore phalanges
Ivit, & hoſtiles aquilas, Romanaque ſigna
Audaci fuditque manu, & victricibus armis
Chriſticolûm inviſos hoſtes juga ferre coegit.
  O fortem dignamque trucis ſuperare ſepulchri
Lurida jura animam! ô mediis heroa triumphis
Ereptum terris! duri ô modo prælia Martis
Qui ſpirabat ovans, diræ en nunc pallida mortis
Præda jacet; ſanctis modo qui ſolamen in arctis
Rebus erat, dolor idem & nunc eſt mæror amarus.
  Non tamen huic noſtro fas indulgere dolori,
Auſpiciis quando melioribus, omina cedant
Carole Magne tuis nobis meliora novóque
Stamine fata trahant ſua penſa, & tota recumbat
Spes noſtra in te uno prius inclinata, ducemque
Magnanimum mutaſſe, haud amiſiſſe feramur.
Nempe annis tantùm minor es, majorque vocari
Fortunis animiſque potes, ſi ſingula recte
Pendimus, & clarâ ſurgentis laude juventæ
Prima rudimenta, & ſi exculta inſignibus auſis,
Omnimodâ & virtute tuæ primordia vitæ
Digerimus, tantis quis ſe ferre audeat actis
Æqualem, imo tuis cedat ſuperata vetuſtas,
Magnaque in exemplis habeant tua facta nepotes.
  Quippe prius teneræ quam ætatis amabilis ardor
Affulſitque genis, lanugo & veſtiit ora,
Tu varia & tunc vera dabas ſimulachra futuræ

Militiæ, adverso seu tecum ludere conto
Prælustris gestiret eques; molimina dextræ
Ut sensit mage firma tuæ, validosque lacertos
Expertus, totâ fugitans cedebat arenâ,
Quam vincique dolet, tam te victore superbit.
Seu juvit per celsa pedes juga tendere cursum,
Heroo incessu aut vallis superare reductæ
Planiciem, & dubiâ sese exercere palæstra,
Nunc hostemque fugans, nunc debellansq; fugacem,
Cominus & nunc ense petens, nuncq; eminus hasta;
Omnibus omnimodæ, tua palmam & præmia pugnæ,
Surripuit virtus; sicque alta sacraria famæ
Intrans, prælucere aliis Mavorte benigno
Suevisti, & veterum Heroum prævertere laudes.
Non minus & Musis quam Marte exculta Juven-
Claruit, & primis sapientia crevit ab annis, (tus
Progressu nuncque aucta tuo est, qui cuncta senectæ
Socraticæ secreta tenes, & jussa sophorum,
Cecropiæque domus mandata, accommoda rebus
Ad praxin revocas, vitans delira scholarum
Jurgia, multijugis commenta insulsaque rixis
Jactata, agnatamque novis sine pondere verbis
Barbariem, & falsi latebras, fraudesque, strophasque
Spinosas, nec enim tu tam prudentia quid sit
Vocibus anquiris, quam vitæ tramite recto,
Exemploque probas: non quot se partibus ornet
Justitia, humanos sed quantùm accommoda ad usus,
Distribuendo aliis, & commutando vicissim
Nemo etenim te demeruit, quem non tua fovit
Gratia majori merito, & meliora rependens
Acceptis, memori semper dignatus amore es.

Atque

Atque tui haud clarum divina oracula lumen
Fugêre ingenii, nec tantum humana referre
Gratia quid possit, quantum tibi cælica prosit
Scire studes; anne hæc meritis sit congrua nostris,
An dispar? quænam sit dans? & quæ data gratis?
Quæque facit gratos, an libera nostra voluntas,
An servo arbitrio varii rapiamur ab æstu
Affectus; visisque bonis pejora sequamur.
Quæ cunctà ingenii mysteria clara patescunt
Vi perrupta tui, hinc merito te Ecclesia honore,
Salvo jure poli, decorat, dignumque parentem,
Supremumq; suum caput effert, regna Britannis
Quà subjecta patent sceptris, tantum æmulus ardor
Mentis & alta potest evecta ad sydera virtus.
Ergo cùm tantis animi & tot corporis auctum
Dotibus æthereus te ad cæpta ingentia rector
Instruat, indecoris ne obscura silentia vitæ,
Conatus foveasque leves, verùm indolis altæ
Quâ tua mens, geniusque vocant, & vota piorum,
Impiger, evitans latebras ignobilis oti,
Nunc Christi defende ratem, & jactantibus undis
Eripito maris adversi, salvamque salutis
Remigio tuto in tutum deducito portum:
Sicque tibi grato famulata Britannia cultu
Læta adspirabit, socias & martia dextras
Addicetque operam, ne quid tua vota retardet,
Optatisve infida obstet fortuna secundis:
Si tibi bellorum nervis, & divite gaza
Sitque opus Attalici in sumptus splendore paratus:
En quantis sese nunc nostra opulentia curis,
Ostentat gratata tibi, festamque favore

Divino hanc celebrent lucem proceres, populusque
Exultentque novis studiis, quia vertice aviti
Splendet honoris apex, solenni & cingeris auro,
Et lapidum variâ radianti luce corona.
Teque ut demeruisse queant, en murice & ostro
Pars fulget Tyrio, parsque aurea stamina textis
Et miscet fila auratis, neque vellera Seres
Vestra placent, fulvo nisi sint radiata metallo,
Argenti aut lamnis candescant; hincque profundi
Inquirunt etiam spolia, & telluris in imo
Abscondit quodcunque sinu natura, sagaci
Explorant oculo, vario ut decorata colore
Velamenta Indis niteant pretiosa lapillis.
Et vario certant luxu; viret ille smaragdis;
Hic hiacynthe tuo meliùs splendore refulget,
Pellucent aliique adamante, & Jaspide, clarum
Surripiuntque diem, perstrictáque lumina tanto
Lumine, Phœbæos vix cernunt luminis ignes.
Sed minimùm natura potest, operosior artis
Gratia dat meritum majus, doctâque refulget
Vermiculata manu meliùs, virgataque vestis
Quam picturatis Memphitis mille figuris
Aut distinxit acus Babylonica; Testis *Edina*
Inclyta *Edina* tuis proavis quæ regibus olim
Mansurosque lares, celebri fixitque perenne
Justitiæ solium, doctis sedesque Camænis;
Quæ nunc lapsa polo, Divûm interpresque futuram
Fatorum seriem, melioris & omina vitæ
Augurio pandit fausto, lætataque cunctis
Accingit se officiis, & splendida cultu
Luxuriansque suo, adventus ut gaudia festa

Accelerare

Accelerare tui queat, en regalis & auri
Pondere te numeroque invitat, commoda sæcli
Aurea venturi signans, deductaque Parcis
Stamina propitiis, tanto auspice ut omnia cedant
Sintque tibi merito cc ura, solique salique,
Munera pro votis, queis largo copia cornu
Divitiæque fluant tibi, pro votisque tuorum
Hostibus exitium aut cæsis, probrumve fugatis
Intentes, duro donec vigilique labore
Gens exosa polo pereat, Christoque rebellis.
Quod si forte tibi cordato in milite virtus
Quæritur, & rebus Mavortia nata gerendis
Pectora, quæ in partem laudis sociique laboris
Succedantque tuæ famæ, queis læta Britannis
Adveniat ducibus volucris victoria castris;
En tale obsequium spondent, precibusque litatis
Relligione sacri, se obstringunt Scotus & Anglus
Certatim voti, & qui nunc juga fortis Hybernus
Tandem nostra tulit; tua se objurantque vicissim
Castra secuturos, & classica sive per Istrum
Seu Tybrim mediteris iter, quocunque sub axe
Bella geras, Turcæ seu tu crescentia lunæ
Signaque debelles victrici Otomanica dextra:
Seu capitolino fuso patre, victor ovansque
Demergas fictos Tyberino in gurgite divos.
Qualiter Austriaci rex debellator Adolphus
Imperii, doctis sine Scoto milite fastis
Nil unguam dignum gessit, scit Sarmatis ora
Decolor, hostili & fœdata cruore, Britannûm
Fortia facta ducum; scitque inclyta Lypsica tellus,
Terraque Vindelicos nunquam tacitura triumphos:

Et dubiis conserta vadis, consertaque sylvis
Prœlia, & arboreis tabo squalentia ramis
Membra nigro, truncosque artus; non profuit hosti
Munitis hæsisse locis, non aggere septi
Aut vallo tuti fuerant, tormentaque Martis
Ignea non properâ poterant prævertere planta.
Ergo tuis fatis indulge, exemplaque mentem (tem
Magna trahant, firmentque tuam, remq; hisce laban-
Auxiliis fulci, & magni succede *Sueci*
Heros herois titulis, primusque capesse
Militiæ tantæ imperium, namque ista potestas
Impatiens consortis erit, quæ pluribus æquo
Cedere jure nequit, studiis jactata, odiisque
Privumque anteferens communibus utile damnis.
O quo me afflatu Cyrrhæ sacra numina raptent,
Quove ferant animi audacem, impulsumque furore.
Quando paludatum, parmamque & cassida gemmis
Splendidum Hydaspæis te cernam, voce, manuque
Munia adimplentem Ducis omnia, cumque canoras
Tu medias interque tubas, interque calentes
Cæde acies, hæc jussa tuis, mandataque reddes:
Obruite, & ferro mactate, evertite flamma
Fædifragos Christique hostes, fundamine ab imo
Destruite, & divina quibus non gratia tanti est,
Perdite pro meritis: non pax datur ulla prophanis:
O utinam tali videam cum diriget almum
Phœbus luce diem, & cum Glasgua juncta maniplis
Accedat pars digna tuis, cum nobilis urbes
Inter Scotigenas, audacis Glasgua Martis,
Dulcis & artis amor, fuerit tibi fida laborum
Usque comes, magni quocunque potentia fati

Te ducet; cumque ipſe tuas diſcrimine in omni
Uſque ſequar lauros, dubii cupiduſque pericli
Quo menti cognatus honos, & fama vocabunt
Aſſecla adjungar; cum ſacro & percitus œſtro
Et faciam, & tua facta canam, famæq; ſuperbis
Curribus, emeritâ magni per mœnia mundi
Perpetuâque veham ventura in ſæcula laude.

JOANNES ROSA.



Carmen Panegyricum.

HÆrentem nuper, majoraq́ʒ viribus ausum,
Atq́ʒ per umbrosos metuentem vadere lucos
Ducite Pegasides Phœbæâ Lampade musæ
Interiora meæ pellentes nubila mentis.
Vt ferar insolitis pennis, atq́ʒ alite venâ
Templa super mundi, bifidi super avia Montis
Culmina Parnassi, nec non Heliconis amœni
Difficiles aditus, & celsa cacumina Pindi.
Vnde fluunt studii prælustria præmia nostri,
Ingenio monstrante viam, trans ætheris oras
Purpureas, nivei quas cingunt atria cœli.
Hæc carpenda via est nullis adeunda, nisi illis
Qui magnos animos ingenti pectore versant
Otia quærentes, & propter flumina viva
Vocales potant latices, dubiisq́ʒ recludunt
Cortinam monitis, doctiq́ʒ sacraria Phœbi.
Vt digni fiant hederis, & imagine macrâ.
Hocq́ʒ manet vates præsentis temporis omnes,
Qui divina suæ componant carmina Musæ,
Carmina perpetuis sculpi dignissima cedris.
Discedat procul hinc qui se non proluit amne
Castalio, meruitq́ʒ novam decerpere laurum.
Tantæ molis erit grandi celebrare Cothurno
Illustres titulos, florentia Stemmata, nullis
Intemerata modis, expectatosq́ʒ triumphos,
Victricem pompam, gemmantia sceptra, tiaram

Fulgentem, diadema triplex, insignia regis.
Quo nil in terris majus meliusve videtur.
Quem populus, proceres, lex & natura, Deusq́;
Imponunt magni solio genitoris avito.
Imperii qui frena premat generosa Britanni,
Astræamq́; vagam deducat vertice cæli.
Quam pietas, pax, cana fides, bona copia cornu
Concomitantur, uti miseris mortalibus ævi
Oppressis vitio Saturnia secla reducat.
Felix illa dies fastos memoranda per omnes.
Quâ redit orbis amor, proavorum gloria, nostræ
Spes patriæ, columenq́; decus, dominusq́;, paterq́;
Primaq́; cura poli, paret cui limpidus aer,
Dædala cui tellus cedit, cui marmora ponti
Rident, cui liquidis vastus nitet ignibus æther,
Cuiq́; serenati gratatur Machina mundi.
Adventum Rex magne tuum testantia faustis
Ominibus, plausu læto, pompâq́; frequenti.
Non est quod memorem convelli sedibus urbes
Mœnia, tecta, domos, communia templa relinqui:
Scotia quà vernat roseis convallibus æqua.
Nonne vides populos lambunt quos ultima Thules
Littora, quiq́; colunt antiqui tesqua Gatheli
Pectora nata gelu, penitis hausisse medullis
Vitales jubaris radios mage luce serenos.
Quo regalis apex, majestas enthea, vultus
Cælicus ille tuus, residens in pectore virtus,
Mentis inaccessæ culmen sublimius astris,
Affulgent cæcis diffuso lumine terris.
Qualis enim fuscus septemplicis accola Nili
Supplicat, ut cernit nascentis lumina solis,
Inq́; creaturâ quærit, qui cuncta creavit

Secula & æthereis orientia signa maniplis:
Talis Scotus *ovans, (quamprimum fulserat axe*
Arctoo, sociis qui nos disterminat Anglis
En nova lux, sol ille novus, qui pallida fecit
Astra polo, reserans argentea limina cæli)
Obstupet, & pronus veneratur nomina Regis
Clara sui, patrium præsens & numen adorat;
Scilicet æterni genitoris imagine captus.
Namque Dei vivum veri simulamen adimples.
O decus heroum, divorum sanguis, & ingens
Depositum cæli, mundi melioris origo!
O quàm te cupidi tandem post fervida vota
Certamus passim teneris amplectier ulnis!
Nedum oculis, animisque simul gestare volentes.
Haud aliter quàm cùm Romana potentia terris
Præluxit quondam, perituri culmen honoris
Conscendens, memoris posuit monumenta trophæi
Multa suis ducibus, lauros texendo corollis:
Sic modò lecta vîrum gens ardua, & æmula cælo
Scotigenæ tibi templa novant, tibi munere magno
Accurrunt, statuamq; locant, capitiq; coronam
Annectunt sacro, per mille volumina rerum
Servatam contra crudelia Cæsaris arma,
Victorumq; manus, & Brittonis aspera tela,
Saxonis & turmas, nec non molimina Cimbri.
Vt licet Assyrius gemmas, & thura Sabæus,
Indus ebur nitidum, mollis Campania Bacchum,
Aurifluumq; Tagum mittat ventosus Iberus,
Anglus opes jactet dites oriente petitas,
Quæq; Caledoniis *adjungitur Insula regnis*
Admiranda suæ pandat miracula gentis,
Inferiora tuis meritis dant munera. Sed nos

Quæ tibi sceptra damus longè antiquissima, famam
Invidiamque omnem superant, & vulnera dira
Fortunæ instabilis, nulloque coercita fato
Mox bis dena suis includent secula fastis:
Nec tamen humano peragi res ista paratu
Mortalique manu potuit. Deus O Deus ille
Iustitiaque parens, bonitatis fons, & origo
Imperii, charum dio cumulavit honore
Te, statuens regem post tot labentia Lustra.
Quot neque Chaldæus, Medus, Perses, Macedove
Romanusve queant numerare. Perennis at una
Scotia *stat, multùm cœlesti robore fulta.*
Quæ renovat vires, ut te florente juventâ
Spectet: non secus ac magni Iovis armiger ales
Fontibus abluerit pondus deforme senectæ,
Quò niteat priscæ juvenilis gratia formæ.
Dic mihi quisquis ades, num Scotia *pulchrior un-(quam,*
Lætior aut potior? Superi dum plena favoris
Gaudia suppeditant totis currentia rivis:
Lætitiaeque modum nescit præsaga futuri
Mens hominum, cunctosque ciens reparata voluptas
Gestit & exultant tacitis præcordia votis.
Mulcet enim tristes animos, victosque dolore
Numinis aura tui; cujus fulgore beatam
Collustras patriam, fax ô præclara tuorum.
Qui simul ac nostros voluisti invisere fines
Lucidiora polo candentia sidera fulgent.
Saturnusque senex, invictus Iupiter, anceps
Mars, rutilans Phœbus, formosa Venus, vafer Hermes,
Et Phœbe nocturna licet pulcherrima, raros
Influxus spirant adspectus conscia Tanti.
Quo renitet tellus vario vestita colore.

Dum modò gramineis profert violaria campis,
Et modò turgentes maturat collibus uvas,
Et modo condecorat redolentes floribus hortos,
Agricolisque parat fessis cerealia dona.
Sic quæ conticuit glacialis frigore Brumæ
Integrat in sylvis carmen Philomela comatis,
Sic & Alauda ferit lepidis accentibus Æthram,
Sic Veneris pulli miscent repetita columbæ
Basia: Sicque rotat caudam Iunonius ales.
Imbelles agni ludunt, hœdique petulci,
Frondibus insultant; torvâ pro conjuge Taurus
Ardens bella gerit: spatiis lascivit apertis
Debellator equus. mirum! spelæa profunda
Erumpunt, rabidæ tigres posuere furorem,
Gryphes hyperborei, cristati colla dracones,
Terribiles ursi, fulvâ cervice Leænæ
Mansuescunt. Rex ipse Leo dominusque ferarum
Te regem agnoscit. Cujus clementia sola
Maxima dos regum, virtus contermina cœlo,
Immanes potis est Gothosque, Scythasque feroces,
Thracas Bosphoreos, immansuetosque Cyclopas.
Flectere, & in lenem rationis ducere Gyrum.
Felix ille parens, qui te securus Olympum
Succedente petit: Quàm gaudet ab æthere summo
Despectans sobolem vestigia nota prementem.
O nos felices tanto sub principe natos
Heroo! qui sceptra regis moderamine firmo,
Fatidicæ Themidis sanctissima jura ministrans,
Bellonam rigidam compescens pace serenâ,
Secessus gratos reddens ac otia Musis:
Magna quidem sunt hæc, sed adhuc majora dedisti
Argumenta tuæ laudis. Babylona superbam

Fulminei

Fulminei frangis sceptri gravitate, Sionis
Mœnia restauras, Solymæ populataque tecta
Sacrilegûm concussa diù furialibus ausis
Ædificas, larga præbendo munera dextra.
Pro quibus affluxit vatum chorus omnis in unum
Defixus temet, præstanti pectore carmen
Condit, quod nullum consumat temporis ævum.
Cantat io civis, sexus vacat omnis & ordo
Lætitiæ, festis complendo cuncta choreis,
Ante triumphales currus Ecclesia *mater*
Sternitur, atque tuo titulos superaddit honori:
Defensor fidei, veræ pietatis alumne
Relligionis apex, Rex Carole *maxime, regum*
Christicolûm phœnix, solis Dîs proxime salve.

NINIANUS CAMPBELLUS.

Huc




HUc post vota preces & tædia tanta tuorum
Hospes Scotigenis *Carole* gratus ades;
Anglorum primus tu rex divinus avita
Scotorum læto pectore sceptra subis:
Quod Mars non Anglis potuit nec longa vetustas
Hoc sine cæde uni fata dedere tibi
Scotorum Clerus, proceres, veneranda Senatus
Turba, chorus juvenum, læta caterva senum:
Invictum diadema patrum per sæcula longa
Imponunt capiti (fausta precata) tuo.
Numinis irati nuper quæ signa dederunt,
Nunc renovant vultum cuncta elementa suum:
Fit placidum cœlum, aer lenis, florida tellus,
Et Thetis in liquidis cærula saltat aquis:
Nos grato aspiciunt rutilantia sydera vultu,
Læta canit modulos & philomela suos;
Subsidunt venti, saliunt in marmore pisces,
Fronde nemus, fructu & gramine terra viret,
Te veniente nova hæc facies lætissima mundi
Cuncta refert patriæ dona redisse tuæ.
A natis nudata suis Ecclesia mæsta,
Læta sit auxilio rursus amicta tuo.
Publica pressa malis res, & tot læsa ruinis
A te habeat morbis pharmaca digna suis;
In te uno multis divisa Britannia sæclis
Juncta, olim innumeris dilacerata malis.
Roma dolet regem & tot regna unita, timetque
Exitii duce te fata suprema sui;
Romani semper crescat mage causa doloris,
Dum tibi sit regni sedula cura tui.

Eurus

Eurus opes, offert Boreas venabula, ludos,
Et tibi delicias pandit *Edina* suas,
Primitias veri tibi nos sacramus amoris,
Sertaque pieriis hæc redimita rosis,
Hoc donum Occasus, non quod terra Indica jactat,
Sed quod sincero *Glasgua* corde refert,
Majorum hic summâ fundata Academia cura
Floreat auspiciis *Carole* magne tuis,
Apponas operi bene cæpto robora dextræ
Munificæ, & nostrum te duce surgat opus;
Doctrina hic crescat, vigeat studiosa juventus,
Reddantur doctis præmia digna viris :
Quæ desunt nobis, nostra & quæ curta supellex
Denegat, auxilio sunt reparanda tuo.
Glotta canet laudes, tua munera *Glasgua*, Pallas
Et benefacta choro tollet ad astra suo.
Turba togata tuum nomen dum terra manebit
Laudabit, meritis tot decorata tuis,
Faustus eas redeasque tuis, Dei ovile triumphet,
Lugeat adventum turba prophana tuum.
Scotia te natale solum gens prisca per ævum
Laudet & adventus sit memor usque tui.
Numina grata tibi longa & felicia præstent
Stamina, Nestoreos quæ superentque dies,
In miseram dum regna ruunt contermina cladem,
Pace Dei, auspiciis sunt tua tuta tuis.
Illustrat mundum rutilo dum lumine Phoebus
Hæc tua progenies inclyta regna regat !
In te Roma ruat, fremat acris Iberia, fidus
Te leo, te citharæ, lilia, pardus amet,

PATRICIUS HAMILTONUS.



HUc post vota preces & tædia tanta tuorum
Hospes Scotigenis *Carole* gratus ades;
Anglorum primus tu rex divinus avita
Scotorum læto pectore sceptra subis:
Quod Mars non Anglis potuit nec longa vetustas
Hoc sine cæde uni fata dedere tibi
Scotorum Clerus, proceres, veneranda Senatus
Turba, chorus juvenum, læta caterva senum:
Invictum diadema patrum per sæcula longa
Imponunt capiti (fausta precata) tuo.
Numinis irati nuper quæ signa dederunt,
Nunc renovant vultum cuncta elementa suum:
Fit placidum cœlum, aer lenis, florida tellus,
Et Thetis in liquidis cærula saltat aquis:
Nos grato aspiciunt rutilantia sydera vultu,
Læta canit modulos & philomela suos;
Subsidunt venti, saliunt in marmore pisces,
Fronde nemus, fructu & gramine terra viret,
Te veniente nova hæc facies lætissima mundi
Cuncta refert patriæ dona redisse tuæ.
A natis nudata suis Ecclesia mæsta,
Læta sit auxilio rursus amicta tuo.
Publica pressa malis res, & tot læsa ruinis
A te habeat morbis pharmaca digna suis;
In te uno multis divisa Britannia sæclis
Juncta, olim innumeris dilacerata malis.
Roma dolet regem & tot regna unita, timetque
Exitii duce te fata suprema sui;
Romani semper crescat mage causa doloris,
Dum tibi sit regni sedula cura tui.

Eurus

Eurus opes, offert Boreas venabula, ludos,
Et tibi delicias pandit *Edina* suas,
Primitias veri tibi nos sacramus amoris,
Sertaque pieriis hæc redimita rosis,
Hoc donum Occasus, non quod terra Indica jactat,
Sed quod sincero *Glasgua* corde refert,
Majorum hic summâ fundata Academia cura
Floreat auspiciis *Carole* magne tuis,
Apponas operi bene cæpto robora dextræ
Munificæ, & nostrum te duce surgat opus;
Doctrina hic crescat, vigeat studiosa juventus,
Reddantur doctis præmia digna viris :
Quæ desunt nobis, nostra & quæ curta supellex
Denegat, auxilio sunt reparanda tuo.
Glotta canet laudes, tua munera *Glasgua*, Pallas
Et benefacta choro tollet ad astra suo.
Turba togata tuum nomen dum terra manebit
Laudabit, meritis tot decorata tuis,
Faustus eas redeasque tuis, Dei ovile triumphet,
Lugeat adventum turba prophana tuum.
Scotia te natale solum gens prisca per ævum
Laudet & adventus sit memor usque tui.
Numina grata tibi longa & felicia præstent
Stamina, Nestoreos quæ superentque dies,
In miseram dum regna ruunt contermina cladem,
Pace Dei, auspiciis sunt tua tuta tuis.
Illustrat mundum rutilo dum lumine Phoebus
Hæc tua progenies inclyta regna regat !
In te Roma ruat, fremat acris Iberia, fidus
Te leo, te citharæ, lilia, pardus amet,

PATRICIUS HAMILTONUS.



MVltùm limato Princeps dignissime versu
Cui Phœbus nova dona parat, cui serta Camœnæ
Floribus intexunt, æterno vere rubentes
Quos & Cyrrha sacrâ nutrit Permessis & unda:
Tu licet ipse auro gemmisq; insignis Eois
Inter honoratos proceres & sydera regni
Advenias, qualis micat inter lumina cæli
Aureus, illustratq; suâ sol lampade mundum:
Te licet & decorent triplicis diademata regni,
Et genus à Regum tot avorum sanguine ducas:
Munera Pieridum, tamen haud tibi vilia sunto
Pieridum gratas testantia munera mentes
Quæ decorant Reges; simul & decorantur ab illis,
Dum faciunt Reges cantanda, canuntq; camenæ
Excelsa heroum gesta & clarissima Regum.
Dux astans tumulo magni pellæus Achillis
Fœlicem nimium fortunatumq; ferebat
Carmine Mæonides, quem decantaverat ingens.
Talis & Ausoniis erat olim Cæsar in oris,
Altera cui calamum tenuit manus altera telum,
Et clarus belli studiis imbellis & otì.
Et tibi talis erat genitor clarissime Regum
Cujus docta manum certabat vincere lingua,
Inq; vicem claris gestis manus æmula linguam,
Ambiguum factis fueritve potentior ore:
Vt nulli vixit gestorum laude secundus,
Mellea sic nulli cessit facundia Regis,
Nectareo quoties hauserunt flumina ab ore

Purpurei

Purpurei proceres regni, ſanctuſq; Senatus:
Sive ſoluta, modis ſeu prompſit verba ligatis,
Eloquii potuit vel vincere Neſtora dono,
Carmine vel doctæ numeros æquare Thaliæ:
Ille hederam ſceptro junxit, laurumq; tiaræ,
Et dubium an major fuerit Rex anne Poeta,
Tanto patre ſatus, tu ſceptra Britannica torques.
Qui laudem nato potuit virtute mereri,
Ad laudem meritis niſi tu nullius egeres,
Ipſe ſed æternam generi tranſmittere ſolus
Mille queas ſplendore tuo per ſecula famam.
Tuq; adeo jamnunc ô magni vera parentis
Et viva effigies, defuncti & imago ſuperſtes,
Regnorumq; trium patriæ virtutis & hæres,
Transfuſas referens regali in pectore dotes,
Carle *ſecurigeris exoptatiſſime Scotis*
Gratus ades decimâ tandem trieteride lapsâ:
Atqte olim quantùm te decedente dolebat,
Iam viſo tantum te gaudet Scotia nutrix,
Quæ proavis famulata tuis tibi cultior exit
Conſueto occurrens, & ſedibus obvia motis
Excipit, ac tenſis venientem amplectitur ulnis.
Adveniente ſuo minus exultavit alumno,
Iuſula dictæi cunis celeberrima Regis;
Conſpecto tantum neque geſtit Apolline Delos,
Nec Paphos eſt viſâ tantum gaviſa Dione,
Aut nemus Idalium, vel culmina celſa Cytheron,
Aera gemmatis dea quum pulcherrima bigis
Tranat, anhelantes propiuſq; admovit olores:
Mille deerrantes circumfunduntur amores,

Et læti hinc illinc ludunt plaudentibus alis.
Gens est, ut perhibent gelido subjecta Bootæ,
Quam totis sex atra premit nox mensibus anni;
Vt caligantes terram obduxere tenebræ,
Horret triste solum, squalent & frigore campi,
Et glacie rigidis pisces frenantur in undis.
Sed tristes ubi primùm umbras aurora removit,
Et spectata diu, reparans dispendia longæ
Noctis, & alma diem spatiis lux reddidit æquis:
Extulit & rosei Titan jubar aureus oris,
Quàm potuit cultus gens tota induta nitentes
Aërios scandunt excelsa cacumina montes,
Claraque spectantes orientis lumina Phœbi,
A quo cuncta novum ducunt vegetata vigorem,
Lætitiæ testes jactant ad sydera voces,
Ingentiq; alacres effundunt gaudia plausu.
Sic & subducto te, Maxime Carole, *nobis,*
Oppressit mæstos piceo nox invida nimbo,
Sextaque jam longis decurrit Olympias annis,
Atque inamœna soli facies, inamœna locorum est
Luridaq;, & squalent incultæ civibus urbes,
Mæret ager, damnant ignavi rura coloni,
Non canit in sylvis volucris; non piscis in undis;
Nec pecus in pratis lascivum ludere gestit;
Dilectæ Corydon non cantat Phyllidis ignes,
Dulce nec argutâ modulatur arundine carmen:
Pan Deus Arcadiæ veteres remeavit ad oras,
Et Delum aut Cynthum Pataramve invisit Apollo:
Et procul à nobis aliâ regione remotas
Parnasiq; tenent Musas juga vel juga Pindi,
Carmina nec divæ dictant, velut ante solebant.

Verum

Verum ubi non fictis implet rumoribus aures
Fama tui adventus, hominum dispersa per ora,
Mutata est rerum facies, mutatur & anni,
Et cæli renovatur honos, & gloria ruris.
Natura omniparens, elementa per omnia fundens
Lætitiæ documenta, tibi gratatur eunti.
Purior arridet depulsis nubibus aer.
Mille tibi volucres concentibus æthera mulcent.
Ipsa parens tellus solito formosior ora
Erigit, & virides renovata ostentat amictus:
Rident mille novis variata coloribus arva,
Et tibi ver sudat, multùm tibi Flora laborat,
Naiades atque vagæ Driades per gramina ludunt,
Montibus exercent choreas & Oreades altis,
Et Satyri exultant, & rustica numina Fauni,
Nec non alma Pales, necnon pater Arcadiæ Pan.
Parva loquor, rigidæ motantque cacumina quercus,
Celsaq; concutiunt intonsi culmina montes,
Et pariter sylvæq; feræ, rupesq; fragosæ,
Saxaq; convallesq;, sonos ad sydera mittunt,
Montibus inque cavis secreta reciprocat Echo.
Quin & Parrhasiæ Phœbus vicinior ursæ
Admovit propius radiati lumina vultus,
Et solito Eois caput exerit ocyus undis,
Tardius hesperio demergit & æquore currus,
Te comitesque tuos, spectacula vestraque lætus
Cernere; nec longo satiantur lumina visu.
Quà gressus fers, alma Ceres Bacchusque sequuntur,
Divite deque penu famulantes dona ministrant,
Iam tibi Tueda *simul, simul* Esca, *& maxima* Forthæ
Flumina nativas submittunt leniter undas.

Quâ transis, gressus Nymphæ venerantur euntis,
Et deamata pedum vestigia lambere gaudent.
Purpureis ripæ ridentes floribus halant,
Et nitidæ fulvis gemmæ advolvuntur arenis,
Purius extremis queis nil dedit Indus ab oris.
Iam novus & villis redit & nitor arcibus altis,
Cumq; suis passim splendescunt oppida templis.
E pagis villisq; ruunt, equè urbibus unà
Effusiq; viri & matres pueri atq; puellæ
Ardentes propius se ferre, avidiq; tueri
Sydereos oculorum orbes, lumenq; serenum
Frontis honorati, & creperi spirantia belli
Ora verenda notas, placidamq; gerentia pacem,
Aspectuq; novo gaudent turmaque tribusq;,
Omnibus à sacro manant solatia vultu.
Quis steriles annos elapsi computet ævi?
Natalis lux nostra fuit quum redditus oræ
Carolus *est patriæ, primos nox obruit annos:*
Perstet Erythræis lux hæc signata lapillis
Et vigeat famam nomenq; habitura perenne.
Aurea jam cælo decurrent secla benigno:
Auspiciis, Rex magne, tuis fælicia ducent
Vellere de niveo lætantes stamina parcæ.
Quid mirum si jam pariter Mareotica raucos
Edant sistra sonos, & si Berecynthia clangant
Cymbala, templorumque in turribus æra resultent,
Terribilesque vomant Brontæa tonantia flammas,
Æthereosque ignes sonitusque imitantia cæli?
Æreaque assensu crepitent si cornua rauco,
Omnia tam festæ testantia gaudia pompæ.
Iam Pateram & Delon Cynthumque reliquit Apollo

Ille

Ille Caledoniis jam gaudet adesse Britannis,
Parnaßi Musæ fugiunt & culmina Pindi,
Iam placet Aoniis ante omnia Scotia divis,
Arthuri sedes Helicon, Parnassus in urbe
Edina *est media; Scotis dum* Carolus *adsit,*
Carmine nec nobis certaverit Italus ora,
Magnorum celebris neque Mater Gallia vatum,
Docta nec heu sævis ardens Germania bellis,
Alma Camœnarum, neque nutrix Belgica tellus.
Ingenio si quid, si quid defecerit arti,
In nos regis amor pensabit noster in illum,
Ille dabit vires, animosque canentibus aptos,
Ille & Pirenen & sufficit Hippocrenen.
Glottiades *igitur musæ* Forthæque Taique
Quæ colitis ripas, quæ littora clara vel urbes
Grampiacas, *vestro date vectigalia Regi*
Carmina: Phœbæâ cingentes tempora lauro,
Fergusi *claro deductum à sanguine numen*
Centum per proavos, & septem ex ordine Reges.
Tollite Magnanimum super aurea sydera Cârlum,
Alta cothurnati dicant præconia vates
Quales Smyrna tulit, vel fovit Mantua quondam,
Vel qualis nostri generis lectißima Siren
Agrius, heroum laudes cantare peritus,
Et latè ingentes Regum vulgare triumphos:
Ille etiam ardentes cœli transcenderat axes,
Acer & æthereas animo penetravit in arces,
Igneaque aurati distinxit sydera mundi
Præpetis ingenii talaribus actus in altum. *(Musa?*
Quid primùm, quid deinde canat, quid denique
Vt tot regna patrum, scepta & diademata avorum
Mittam

Mittam, quæ stolidi perstringunt lumina vulgi,
Queisque animi tantum præcellunt aurea dona,
Quantum corpus hebes superat vis enthea mentis,
Ver hiemem, cæcas lampas Phœbea tenebras.
Conspicuam augusto virtutum in pectore gazam
Indulsit natura tibi, flos Carole *Regum,*
Et studia, & dignos efformans principe mores,
Vt sortem meritis, & vincas dotibus annos,
Illic incipiens aliis ubi meta suprema est,
Metam prætertiens, quam non adiere priores,
Tangere nec poterint ventura ætate nepotes.
Hos veneranda fides, illos constantia morum,
Temperies multos, animi prudentia quosdam,
Iustitiæq; alios evexit gloria famâ:
Sunt pacis studiis, sunt qui meruere duelli
Laudibus insignem ventura in sæcula palmam.
Sed tibi virtutum chorus uni militat omnis.
Omnes inq; tuo posueruut pectore sedem:
Quæq; seorsum aliis adsunt, tibi cuncta benignus
Rerum opifex externa, interna, æternaque donat:
Inque tuas junctim conspirant omnia laudes.
Ter fœlix tanto Scot-Anglo-Britannia Rege,
Seq; tuo jactat Scot-Anglo-Britannia sceptro.
Cujus amor totum patriæ se impendere, natum
Nutritumq; bono patriæ se credere totum.
At non pacis obis tu fœlix muniatartum
Sed tibi fulminei manus est animusq; Gradivi,
Alitis altus equi spumantibus ora lupatis
Quum domitas, auroq; Regis fulgentia lora,
Terra tremit, sonipes generoso pondere anhelus

Gestit,

Gestit, & obstantes dispescit flatibus Euros:
E galeâ cristæ surgunt fulgente comantes,
Cingitur ense latus, quem nemo impunè lacesset.
Talis in arma Hector, talis tendebat Achilles,
Extremum penetrans & victor Bacchus Eoum,
Aut Mars magnanimus, metuendaque Gorgone Pallas.
Quumque tuis insint tot bellica pectora regnis,
Imperio, magnisque tuis parentia jussis,
Eia age mille rates instructas milite, ponto
Immitte Hadriaco, canescant cærula spumis:
Æquor & auratis subjectum fulgeat armis,
Et Turcas quate Marte feros, Byzantia telis
Procumbant vexilla tuis, Mahumetus & hostis
Erectum metuens animosi insigne Leonis,
Auspice te profugus tot regna tot oppida linquat
Europæ, Libyæque calentis, & Asidis oræ
Christiadis erepta, fero populatque bello:
Orbis & occidui prædator & orbis Eoi
Sævus Iber, mœchæ clypeus columenq; Latinæ
Terga soloque saloque det: & tibi cedat ovanti
Quæ meretrix multis Babylonica præsidet undis,
Imperioq; orbi late dominatur & urbi,
Ipsa nitens ostro, gemmisque auroque coruscans
Ebria sanctorum sed non satiata cruore;
Philtraque in aurato cyatho Circæa propînans
Dementat magnos terræ infatuatque Tyrannos.
At vos in populos quibus est commissa potestas
Semidei Heroes terrestria numina Reges,
Arma citi, ferte arma, lupæque inferte nefandæ
Ferrum, ignemque, famemque, ultrices sumite pœnas,
Accepti memores, & conduplicate merenti
Supplicium

Supplicium, corpus laniatum exurite flammis.
Det pater hoc vestris aboleri dedecus armis
Omnipotens; vestro cadat hæc & vulnere pestis.
Iam cadit, ingentem Babylon trahit alta ruinam,
Quotidieq; ruet magis & magis illa, ruatq;.
Fatalis venit hora, diesq; novissimus instat
Enthea quem veterum cecinere oracula vatum.
Exultate poli atq; polo gens debita sancti,
Vestra Deus vindex nam justus damna rependet.
Vos opus inceptum, vos ô clarissima Rheni
Lumina provehite, atq; incumbite viribus aucti,
Atq; animis juncti; favet indulgentia cæli,
Et faveat, modo ne dominandi invisa Cupido
Transversos rapiat, lucrive inglorius ardor
Discordes trahat in partes dans omnia pessum,
Illice nec deses corrumpat inertia luxu.
Hoc velit & magni Gustavi nobilis umbra
Vulturis eripiens qui vos ex unguibus atris,
Sanguine vestra suo propè regna amissa redemit:
Hoc etiam monuitq; inculcavitq; superstes
Ille, micat nitido qui nunc fax aurea cælo,
Ipso Marte prior, proceres interq; verendos
Illustresq; heroum animas, quos certus adegit
Relligionis amor magno se impendere bello.
Hic labor, hæc ingens te, Carole, cura maneto
Mente, manuq;, animis, armis, opibusq; tueri
Nobile Christiadum regnum, pomeria sacri
Imperii, & latè producere, & Antichristum
Sede sua pulsum exturbare domique, forisque,
Immanemque feram extirpare, hydramque cruentam
Cornua dena simul, septem & capita alta tenentem,

Hinc

( )

Hinc honor & clarâ tibi crescet adorea famâ,
Et diadema tuo triplici diademate majus
Te manet, & Regnum præstantius omnibus unum.
Hoc pietatis amor teneris incoctus ab annis,
Et veri innatum studium tibi spondet & æqui,
Numinis atque timor tua flammea pectora replens,
Hæc aliis titulis laus anteit omnibus una,
Altius ire queat pennâ, neque præpete virtus.
Nos pro te intereà, Regali & conjuge, claris
Pignoribusque, novo tum mane & vespere sero
Labrorum sacris vitulos adolebimus aris,
Longævus patrios ut quum duplicaveris annos,
Regna Britanna regant post te, per secula mille
" Et nati natorum, & qui nascentur ab illis.

GUILIELMUS NEISBIT.

G PANE-



PANEGYRIS.

CUrarum depressa diu mens mole ferarum,
Et præstricta aciem, furvâ caligine luctus;
Hanc lætis subitò rebus, si fortè levare
Pertentes: non illa valet solamina prima
Constanti prensare fide, nec læsa dolore,
Prima serenatæ sustentat lumina sortis.
Sed confusa diu, (sic fert mutatio rerum)
Nec consulta sui, longisque assueta querelis,
Sint manifesta licet, differt sua guadia nosse:
Ipsa sibi foecunda malis, nec credula læti:
Donec certa ferens, fulgenti nuncia pennâ,
Publica cunctantes excludat fama timores.
Tum patet effusum manifesta in gaudia pectus,
Lætitiæ modus omnis abest, nec se capit ipsa
Mens certis lymphata bonis; nec perdita, votis
Sufficit, & nollet jam non doluisse, beata.
CAROLE, nonne vides Scotorum fida tuorum
Corda tibi hic pingi: quos, ex quo tristis ademit
Pacificum Lachesis patriæque tuumque parentem,
Assiduo mersit luctu miserabilis Ate.
Nunquam se meminit tantis nigruisse tenebris,
Nec nisi tunc meruisse suum, tua Scotia nomen.
Vulnere non alio valuit simul ultima lethi
Detrimenta pati, simul & non cedere letho.
Ipsa putes sortem delamentata caducam
Se tribuisse viro, nec haberi innoxia, Fata.
Sic maduit lachrymis, ut jam mutata figuram
Insula, cingenti Thetidi confusa nataret.

Illa

Illa licet reges centum ſex luxit ademptos
Ante ſibi, cunctos tamen haud ſic flevit, ut illum.
Scilicet, ille unus, dotes poſſederat omnes
In cunctos ſparſas proavos, ſic jure merentem
Plus reliquis, reliquis plus luxit regibus unum.
Quid faceret viduata patris ſolamine tanti,
Nec dum præſentis fruitura levamine nati.
Certe equidem triſti, quo non ſuccumberet, Anglo,
Argumenta dabas, redivivus *Carole*, Phœnix,
Inque tuo vultu, nova lux effecit, ut illi
Occaſus ſine nocte foret. Nos perculit horror
Ereptique patris, triſtiſque abſentia nati.
Quid mirum geminæ ceſſit ſi Scotia cladi.
At ſimul adventus eſt irradiata micanti
Luce tui, potiturque Dei præſentis honore,
Tum demum rediviva ſibi, fontique renata
Lætitiæ, finemque jocis ſpernentibus omnem,
Fortunæque apici, nec jam mutabilis ullis
Eventis, viſa eſt. Dum te, Proſperrime Regum,
Ad diadema vocat, ſolioque invectat avito,
Sceptraque dat fatorum ignara, & neſcia ſubdi
Romano dominanti Anglis, Danove minaci,
Hiſpanove truci; aut vicini legibus Angli.
Cedite, O quotquot Scoti celebrare ſolebant
Ante dies! Non vos micuiſtis luce ſerenâ:
Clarior illuxit lampas, radiiſque coronæ
Carole. ſidereæ, tua nunc quæ tempora cingit;
Auctior eſt, ſolemque potens percellere, fulget.
Nulla Rhodo, Phœbo vel contendente videri,
Splendidior conceſſa dies, non lectus habenis
Cum foret, & ſpecimen divis oſtenderet artis.
Gaudia percipimus captu majora fideque

Mortali, & reliquos animis rapientia motus.
Carolus hæc peperit, doctus miracula ſemper
In populos conferre ſuos. Hæc omina traxit
Ortus, & in vitâ ſigna haud moritura relucent.
Ut primum excepit Regalis purpura ſacrum
Imperii pignus, viſum eſt in corpore numen
Majeſtate tegens nudum : vagitibus ipſis
Magnus honos habitus, ſimul infans terruit ira,
Nemo rudem vitæ vel primâ à luminis horâ
Te dixiſe queat, tot es unus cura deorum :
Certatim properant congeſtis undique donis,
Arridere tibi, puerique ambire favorem,
Ut cuinam dignëre ſui dare nomen alumni.
Bellona, armipotens Mars, venatrixque Diana,
Quiſque ſuo comptus cultu, ſua munera primi
Voce ferunt hilari, ridentia numina ſceptris.
Poſt Neptunus equos & aquas tibi fervidus offert,
Et quantum quævis ſibi debeat inſula jactat:
Denique ſuccedit graviorum turba deorum
Juſtitia & Pallas, cum pace & doctus Apollo,
Et Charites, tenerique ſtudentia numina fætus
Culturæ, turba Auguſto bene nota parenti;
Quam ſimul ac vidit Genius tibi miſſus ab alto,
Præfecit cunis, alioſque abſiſtere juſſit,
Germanoque vacare tuo, dum firmior ætas
Creſcentem exciperet faceretque laboribus æquum.
Talibus exculta eſt infantia prima Magiſtris,
Regnandique animata modis, jam tum tibi cana
Mens meruit ſacros cingi Diademate crines,
Sæpe parens in te miratus tanta, volentem
Suſtulit, amplexuque fovens, digitoſque retractans
Fatali nexos membranâ: (hâc *unio* conſtans

Unio

Vnio regnorum signatur.) Rector Olympi,
Dixit, ades fatis nati (namque auguror illum
Signari hæredem sceptri, cœloque reposci
Henricum) patrio possit considere regno,
Imperiumque triplex moderatâ mente gubernet,
Et quartum faustis repetat non segniter armis:
Aut hoc si vetitum est, da gentibus esse timori
Infensis patriæ, *Nemo hunc Impune lacessat,*
Defendatq; fidem totâ jam sorde remotâ,
Afflictosque juvet socios non milite vano,
Detque suis pacem populis; regnisque relinquat
Pacatis sobolem, nec in ævum desinat hæres.
Audiit ista Deus, cum tuque paterque, relictâ
Gente Caledoniâ, cupidos migrastis ad Anglos,
Flagrantesque jugo tam claro à stemmate Regum.
Scilicet haud potuit multis educta regendis
Gentibus, angusto remanere potentia regno.
Et quamvis genitor solio contentus avito,
Penè recusaret dilectas linquere sedes;
Dum tamen ipse oculos tua certa in fata retorquet,
Scotia deseritur: fatalia *Marmora* gaudent
Sancta potestatis geminatæ pondera ferre:
Illic, nulla tibi puero intentata sororum
Doctarum monumenta jacent, tibi rector Apollo
Certat, & aut patitur vinci se, aut vincitur arte.
Successuque pari, reliquorum cuncta deorum
Munera pertractas, doctores vincit alumnus.
Jam nescit Diana canes, Bellonave turmas
Direxisse æquata tibi, Mars robora nescit
Militiæ. Sed præ reliquis Neptunia dextra
Tenditur: & famulum, dixit, ne sperne tridentem
Carole, Laomedon nec sit tibi spernere suasor.

Sat

Sat mercedis erit, si quos tibi nutrio pullos,
Quâ Thetis arcta suos Celtis disterminat Anglos,
Acceptare libet. Non vincet Pegasus illos
Gorgoneus, non Solis equi stimulante magistro.
Excuteres his victor equis Rex, Castora tergo
Cyllareo, Xantho deturbaretur Achilles,
Bellerophon caderet, post Æthon terga relictus,
Sessori infremeret, flagrans tua pondera ferre.
Celtica flectendis gens expertissima frenis,
Arte minor propriâ, sua victa lupata stupebit.
Nec minus æquoreis victor celebrabere regnis.
Namque tuis ratibus, turres superantibus altas
Vastâ mole trabum, (quæ dum jaculantur ab ære
Fulmineos candente globos, maris omne tremiscit
Numen, & aligeras arces mirantur in undis),
Semper ero præsens Rector, tua vela secundis
Distendam ventis, & eris regnator aquarum.
Mox ubi bis septem virtus adolevit in annos
Cæsareæque sedet prudentia vivida menti,
Qualis erat quondam meditantis jura Catonis:
Cumque tuo Pallas, sine vi, manifesta cerebro
Exiret, bello pariter monitisque verenda:
Tum pater ambrosio tibi talia fudit ab ore.
Successure mihi, fatorum ex numine fili,
Aggredere imperium, populis assuesce regendis
Vix dum compositis, & adhuc memorantibus iras,
Majorumque odiis exercita bella nefandis.
Si stabilita tibi seclorum ex ordine longo,
Sola Caledoniæ gentis nunc regna subires,
Securum assereret reverentia debita stirpi
Fergusidum, graviora manent te pondera sceptri,
Vixque humeris gestata meis. Sudaverit Atlas

Tantæ

Tantæ ſuppoſitus ſceptrorum brachia moli.
Stirps igitur virtuſque tibi texantur in uno
Stamine, (fœlices decet una hæc purpura reges.)
In te componi geminam nunc diſce ſynopſin
Orbis, habet primam corpus, munuſque ſecundam,
Utraque dictat idem, niſi lex hæc una tenetur,
Ut nata imperio regnent, debentia ſubdi
Subdantur, ſervetque ſuum pars quæque tenorem.
Nulla tuum regnum, nec te tranquilla beabunt
Otia; curarum ſemper torqueberis æſtu.
Vaſta vide, quâ lege vigens hæc machina perſtet?
En parent Elementa polo, polus illa benigno
Irrigat influxu, nec mutua gaudia tollit
Obſequio comitata pio ſuprema poteſtas.
Diſpar in humani nec lex eſt corporis orbe,
Namque Deus numeris qui condidit omnia, junxit
Æternam in nobis, brutâ cum parte, favillam:
Bruta ſubeſt, celsâ æternam regione locavit,
Factorum dominam, ſedaturamque procellas
Irarum, jecoriſque immania vota tumentis.
Illa vagos cohibet ſenſus, rectumque tuetur,
Imbuit & ſtudio penetralia mentis honeſti.
Imperet illa tibi, tibi ſi parere volentes
Vis populos, diri & nomen vitare Tyranni.
Hac duce diffugient aularum infamia, luxus,
Ambitioque tumens, & vili in pectore livor.
Illa docebit, uti plebi patribuſque loquendum,
Et quibus Imperii prudens utére miniſtris:
Quos decet eſſe domi famulos, quis Martis amator,
Quis Thetidi ſociandus erit, Themidiſve ſacerdos.
Nec te prætereat Domum regale parentis
Quod tibi proſpiciens, noſtra haud ingloria Pallas
Condidit

Condidit, experti loquimur, nec tutius unquam
Regnatur, natum quam cùm Rex edocet ipse
Unum iterum moneo (morientem crede loquutum)
Sacra Britannorum nullâ jam fæce relictâ
Romulidum, prisco sed restaurata tenori
Custodi; nec bruta time Rex fulmina Papæ.
Quod si fortè tibi peregrinâ ex gente petenda,
Uxor erit, mentem Romano infecta veneno,
Nec te pelliceant in adultera sacra lepores
Conjugis, hanc potius tua vita & verba repurgent.
Nec tantum ditione tuâ defensa triumphet
Causa Dei, sociis sed relligionis amore
Afflictis succurre pius, rerumque potentes
Concilia miseris, aut armis exige pacem.
  Hæc & plura tibi effato, responsa dedisti.
Ista quidem, venerande Parens, mandata reponam
Efficienda mihi, modo conspiraverit ausis
Vis divina meis, precibus mihi sæpe vocanda.
Nec mora: Germanus postquam inter sydera sedit,
Parrhasiique auxit flammantia lumina cœli,
Te patris adjungis lateri, nec deseris unquam
Sudantem imperii curis, camerisque vacantem
Justitiæ geminis, quos consulit Anglia Delphos,
Aut Scotis responsa suis clementia dantem,
Aut jam perdomito renovantem fœdus hyberno.
Inque vicem patris legatos excipis, audis
Mandatas aliunde à multo principe causas,
Perpensisque diu non inficianda parenti
Das responsa seni: stupet ipse oracula nati.
Tum vobis, si quando aliis qui jussa referret
Orator mittendus erat, tu cautus euntem
Instruis imperio dignis sermonibus, & quo

Celta levis, Batavusq; modo, Venetusq; movendus,
Germanique rudes, & solers pectus Iberi.
Quin ubi debilior cunctorum est munere virtus,
Ipse subis munus, nullo non pondere major.
Testis ad occiduos susceptum munus Iberos,
Quod stupuit casu suspensa Europa futuro:
Cum tu depositâ jam majestate, nec ulli
Notus, equo celeri, vix & comitatus amico,
Littus adis, Boreæ das lintea, trajicis æquor,
Regnaque Franca subis, verum ignorantia regem.
Hic datur aulai medio consistere plenæ,
Et designatæ tibi conjugis ora tueri.
Moxque latens virtus tua, Celtica pervolat arva:
Nescio quid tamen in vultu regale coruscat,
Vixque latere sinit (sic nec divortia lucis
Longa tenent Phœbum). Vix est Bayona relicta,
Limes & Hispanus vestigia prima recepit,
Et fama est, abiisse virum; petis inde Madrictum;
Attonitumne magis dubium est, an Principe tanto
Gavisum, cupidumve adventus discere causas
Insoliti: pendent omnes, nec parva rogatum
Te venisse putant, diducto ex orbe, Monarcham.
Intrepidus mandata patris secreta revelas
Concilio. Mihi pax & conjugialia vota,
(Sit modo Rhenanis *Fredericus* redditus arvis,)
Persuasere viam. Sin hæc optata negatis,
Tempestiva meis, & inevitabilis hora
Vindictis aderit. Jus inviolabile tantum
Legati, hospitiique simul nunc jure requiro.
Interea dum certa diu responsa parantur,
Aula stupet dextram spumantia fræna regentem.
Quos armatus agis gyros: utque obvia cuspis

Obstantem proturbat equo, vel figitur armis.
Nec minus in quovis certamine, *Carole,* vincis,
Corporis aut gestu. Tot in uno pectore dona
Incensura Deas, ambit clam *Regia virgo.*
At postquam Genitor causando tempora falli
Accepit, (nec enim placuit tua vota Philippo
Despexisse palam) presso redis inde dolore,
Per mare deproperans populique patrisque timorem
Tranquillare redux, noctemque fugare doloris
Pectoribus. Populus per compita festa celebrat
Ignibus extructis, genitor complectitur ulnis
Propitio dans sacra Deo, seseque beatum
Te consorte magis, quam quovis munere divûm
Indicat, ut cujus sua nunc secura senectus
Incumbens humeris, paulatim munia regni
Deposuisse queat, finemque imponere curis
Terrenis, vacuamque Deo componere mentem.
Ante tamen placito quam subvectetur Olympo,
Te spectare juvat, solido firmamine nixum,
Qua ratione pares nova regna capessere patris,
Exemplarque sui laudat, vincique precatur,
Et victus vicisse putat, gaudensque triumpho,
Advehitur superis tandem gratissimus hospes.
Jamque Deo premitur tua, Cassiopeia, cathedra,
Inque genu supplex Alcides flectitur, Orphei
Personat astriferis Lyra regia carmina chordis,
Pronaque sydeream præbes Ariadna coronam.
At post exequias quàm regia pompa peregit,
Tunc onus impositum solus generose subisti,
Et vigil imperii partes conversus ad omnes,
Nulla labare finis, nec se subducere sceptris.
Postquam compertum est, fundamina tuta manere,
Tum

Tum majora moves, regnum ſponſura paterno
Conſimile, aut melius, ſi quid ſuperaddere fas eſt.
Et quia prima trahit plebs regis in omina, facta,
Virtutem ingeminas, & nullâ nube coruſcas
Sol oriens, fauſtumque diem promittis ab ortu.
Relligio micat imprimis, nec dedecet aulam
Nunc pietas, tectiſque tuis blaſphemia cedit
Impia, Dîs ſacro par eſt tua regia templo,
Et timet inſanus numen te principe miles.
Quaque ruit vitium proclivius, obvia vitæ
Diſponis documenta tuæ: tibi ſpernitur omnis
Ventris inexpleto mergit qui viſcera Baccho;
Aula licet Veneres capiat tua mille ſuperbas,
Caſta tamen thalamis conſervas membra pudicis,
Deſpiciturque tibi, qui væcors ambit honores,
Aut piſcatur opes, mendax te lingua flagellum
Sentit, adulator conſpectum ferre recuſat.
Sola tuum virtus captat blandita favorem,
Sola magiſtratu fruitur, quia ſola meretur.
Hæc tibi perpetuam ſat erant ſpondere quietem,
Fata vetant, ſortes ſueta immutare ſecundas,
Nec tamen ira Deûm turbas tibi concitat ullas,
Exercenda manet virtus, ut creſcat ab hoſte.
Parva tuæ claſſis terret pars Herculis undas,
Et docet Hiſpanos mentes frenare ſuperbas
Viſa ſemel, memoreſque Draci, cladiſque Britannæ
Reddit, & ad pacem cogit fera corda rogandam.
Dumque paras iterum claſſes, Erycina moratur,
Et de Borbonio ſpondet tibi ſtemmate Nympham
Vix ſibi ceſſuram ſpecie. Quid gaudia differs
Sancta thori, dixit? Quid nunc nova regna petuntur,
Quum deſit propriis hæres? hoc poſtulat ætas?

Hoc proceres regni cupiunt ? Tum protinus almam
Alite cum puero demittis in oſſa Dionen,
Supponiſque jugo patiens tua colla marito.
Deſerit exultans virgo, patriamque, lareſque,
Et conſanguineos, conſors geſtura coronam
Tergeminam, tandemque Anglis allabitur oris,
Exoptata tibi, jamque oſcula mutua læti
Figitis, & thalamos juncti conſcenditis altos.
Nulla dies nobis luxit celebratior illa.
Vota carent numero pro fauſtâ publica prole,
Et rata propitium dedit hæc in tempore Numen.
Nec tamen (ut res ſunt humanæ) hæc gaudia durant
Intemerata malis : aulam nova turba fatigat,
Celtarum hoc opus eſt. Commercia mutua regnis
Interrupta cadunt, Mox auxiliaria ſupplex
Arma, obſeſſa rogat, communis nomine cauſæ
Rupella, egregio complentur milite naves.
Inſula Santonicis *Rhea* eſt contermina terris;
Appellunt, capitur magnâ virtute tuorum,
Et valuit penitus ſubdi, Rupellaque ruptis
Nunc ſtare aggeribus, ni fata averſa vetarent,
Et Deus his adimens ſtatuit quos perdere mentem.
Hæc & plura tuo perplexa negotia, Scotos
Orbarunt, eheu, vultu, per tempora ſolis
Pene noveni, ſpatio totidem vincentia ſæcla.
Jamque querebantur tibi ſe ſordeſcere viles,
Cumque tuo vellent unâ occubuiſſe parente,
Plura quoque enumerant tranſacta triennia, nec te,
Ut voluit genitor, viſentem regna tuentur.
Cum tibi ſub mediam natalis Scotia noctem
Viſa fuit, laniata comas, & ſqualida vultum
Luctificum, taleſque in queſtus ora reſolvens.

Siccine

Siccine despicimur? sic ne aspernaris alumne
Nutricem? nostin' has ulnas, quæ que ubera suxti?
Hoc cunæ meruere tuæ? nec fervida pigrum
Vota movent? nec te natum moritura reduco?
En lachrymæ? (lachrymisq; meris tua strata rigavit.)
His commotus, iter devotum suscipis, & te
Carole jam fruimur Scoti. Non amplius ægræ
Tedia longa moræ querimur: lux una dolores
Hæc cunctos delere valet: Nec gratius unquam
Cœlicolæ Scotis impertivere trophæum.
Illum quisque diem natalem supputat esse
Communem patriæ. Non norunt gaudia metam,
Astra fatigantur votis, & ovantia cœlum
Verba movent: Sit rexne suus cui tanta parentur,
Anne alius suppar, dubitans scitatur, & audit
Patricios plebemque hæc clarâ voce tonantes.
Vivat Nestorios, vivat Rex CAROLUS, *annos*,
Scotigenasque suos patrio defendat amore.
Qualis erit, vultus quem Regis inaugurat, annus?
Qualis erit Scotis? Nulli sua vota negabis,
Et *Restaurator* dicêris *Carole* regni.
Tu, quæ sacrilegus zelus subduxerat aris,
Restitues, Decimasque Deo per sæcula sacras
Injustis rapies dominis, reddesque Levitis
Christicolis, olim res designata parenti,
Jamque incepta tibi. Te nunc Ecclesia patrem
Agnoscit, clypeoque tuo defensa vigebit.
Tu Themidi sua jura dabis, legumque potentes
Legibus astringes, & dignos dicere celso
Jura tribunali statues. Jam Scotia nolit
Astræam rediisse Polo. Monopolia, pestes
Regnorum penitus tolles. En regia jura

In certos translata viros, sibi cuncta liceri
Credentes, cohibere paras, et quicquid iniqui
Majoresve tui, aut injusta licentia fixit,
Edictis revocas, offenso nemine, cautis.
Tu quoque Mœonidas, Parnassia templa colentes,
Phœbæumq; chorum, patris vestigia calcans,
Adspicies placido vultu, largisque juvabis
Muneribus, doctâque dabis revirescere lauru.
Nulla quidem regio gemino jacet axe, sororum
Doctarum studiis prior hac, sed degravat illam
Pauperies, tenebrisque ingentia pectora damnat.
Carole Phœbus ades, noctem, sol aureus illam
Pelle procul Scotis, nil magnificentius unquam
Auspiciis diadema suis hoc invenit uno.
Materies en ampla patet. Quà Glotta disertus
Glasgua culta rigat (fluvio stant nomina *linguæ*
Cecropiæ, Phœbi arbitrio, *Campiq; virentis*
Urbs gestat titulos, & sunt loca commoda musis.
Hic, Phœbo nova templa parant, turbæque novenæ
Strangius, & socii, gratissima pectora divis,
Respice surgentes muros, exertaque terris
Fundamenta domus, & amantia Principis almi
Crescere muneribus, summumque attingere culmen.
Fac opus esse tuum, tua regia nomina gestet.
Nec tua, munifici superent benefacta parentis:
Ille redux, statuit Scotis collegia nomen
Gestatura suum, nec tu diademate nuper
Cinctus idem statues ? non sic tibi sordet Apollo.
Fac tua marmoreis sic scribi nomina saxis,
Carolus has ædes, visit quo tempore Scotos,
Esse sua posuit monumenta benigna Corona.
Sic tua Glottig enisprœconia sola Camœnis

Materies

Materies fuerint. En quâ dulcedine captæ
Te celebrant, narrant & quæ ſolatia ſacris,
Quæ Themidi, & Muſis, tua nunc præſentia fecit!
O ſupra numerum fœlix hoc, Anglia, Rege
Quo ſemper frueris: nobis hæc munera debes.
Nec ſane indigna es, cujus fiducia tantum
Servet depoſitum, nec nos privamur amore
Abſentis, radios ſed perſentiſcimus almos.
Aſtra ſibi Phœbus propiora illuſtrat, at idem
Vitalem ſpargit terris procul inde calorem,
Corque ſedens medio, manifeſtius ire per artus
Sentitur, membriſque magis vigilare remotis;
Et motum oceani, haud altum, ſed littora norunt:
Sic tu proſpicies licet abſens, *Carole*, nobis,
Et facies ſemper, geminatâ ut voce precemur,
Vivat Neſtoreos, vivat Rex Carolus, *annos*,
Scotigenaſque ſuos patrio defendat amore.

ROBERTUS MAGNUS.

FINIS.
